NVNTIVS A MORTVIS

HOC EST

STVPENDVM IVXTA AC Tremendum Colloquium inter Manes Henrici VIII. & Caroli I. Angliæ Regum.

IN QVO

Tota diuinorum iudiciorum series in istis infortunatis Magnæ Britanniæ & Hiberniæ insulis abusque 124. annis (quo tempore Henricus se à S. Sedis obedientia diuulsit) liquidò à capite ad calcem delineatur.

Liber dignissimus qui ab omnibus attentè perlegatur.

Si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent, &c. LVC. 16.

LONDINI,
Sumptibus GVIL. PALINGENII ROLANDI.
M. DC. LIX.

LIBER AD MALEVOLOS huius Narratiunculæ obtrectatores.

ZOILE, ne laceres morsu mea scripta canino,
Néve meris dicas omnia suta dolis:
Extimus historiæ cortex (volo) fictus habetur:
Vera sed huic intùs ligna subesse scies.
Istáque corporeis licèt auribus invia nostris,
Mentis at internis sensibus hausta putes.
Eia, age, falsiloquum me, carptor inepte, libellũ
Occine: narranti res dabit ipsa fidem.

942.06
P42m

ÆQVO AC BENEVOLO *Lectori Typographus S. P. D.*

QVID TVPESCES forsitan, Amice Lector, narrationem istam tam terribilis quàm planè admirabilis Colloquij inter duos defunctos *Angliæ Reges* iam dudum habiti tardiùs quam par erat, publici iuris factam esse: cum potius statim ab occiso Rege *Carolo*, quàm tanti temporis interuallo typis demandari debuisset. Scias tamen velim illam eo ipso tempore, quo Regius adhuc fumabat sanguis, in lucem emergentem, præ iniquitate temporum ac sæuitiâ eorum, qui summâ rerum potiebantur, ortu suo suffocatam ac suppressam penitùs fuisse. Nunc verò, postquam ingente Dei beneficio, nec infelice obstetricatu meo, bono publico iterùm in apricum prodit, priuato etiam tuo illam vtendam fruendamque peramanter commendo. Tu autem Auctori, qui defuncti Regis sepulturæ, inter alios, oculatus auritusque testis interfuit, non tanquam vana confictáque recitanti (quod poëtæ solent) sed vt veras arcanasque vindictæ diuinæ semitas in isto tenebrarum regno per mortuorum Regum sermocinium enarranti fidem adhibe. Quamuis enim ista primâ fronte cuilibet legenti (quantum ad quasdam circumstantias) comica ac fabulosa esse videantur: siquis tamen sub-

911075

iectam rerum narratarum materiam attentiùs penitiúsque introſpexerit, eam ex archiuis municipalibus, & authenticis Anglicanæ gentis hiſtoriis fideliter hauſtam eſſe probè intelliget. Vale, & Auctorem tibi forſitan ignotum, ſi tibi Chriſtianæ Charitatis ignis inardeſcit, tuis precibus commendatum habe.

LONDINI, è cœmeterio Paulino prid. Idus Auguſti 1659.

Tui commodi ſtudioſus I. A.

NVNTIVS A MORTVIS
SIVE
STVPENDVM COLLOQVIVM
INTER MANES HENRICI VIII & CAROLI I. Angliæ Regum.

VBLATO per immane Caluiniſtarum Angliæ, in Senaculum Londini coactorum facinus *Carolo* eius nominis *primo* Angliæ Regè, truncum eius corpus iuſſu eiuſdem Conciliabuli, quod *Parlamentum* vocant, non in Regalem D. Petri VVeſtmonaſterienſis Abbatiam, ſolenni Regum Reginarumque Angliæ Conditorio ſepeliendum, ſed *VVindſorium* viginti milliaribus ab Vrbe diſſitum, Henrici Octaui tumulo infertur componendum. Nulla erat pompa funebris, pauci tantùm in cuſtodiam milites (comitante etiam *Richemondiæ & Lenoxiæ* Duce Regij Sanguinis primo Principe, cum vno vel altero è Proceribus Regni) ſequebantur. Vbi corpus monumento deponitur, erumpens è penetrali horribilis ſtrepitus circumſtantes primùm rei nouitate ad ſtuporem perculit, mox ſtrepitum ſecuta vox ingenti omnes pauore attonitos defixit. Quod & credibile eſt

Parlamentarios ſatellites in fugam penitùs vertiſſe, niſi quod hominibus, qui neque Deum, neque hominem, imò nec diabolum timere iam diu conſueuerant, timorem protinus abiicere & vocis iſtius ſeriem expectare animus fuiſſet. Ego etiam, qui præ metu expalleſcens in pedes me conieceram, paulatim tamen animum recolligens, & militum præſentia me ſolatus, reique exitum præſtolari cupidus, tandem ſubſtiti, cæteriſque ibi præſentibus me adiunxi. Vox, vt progreſſu temporis compertum, *Henrici* Regis erat magno ac terrifico clamore ita conquerentis,

HENRICVS.

EHo! Quis tu, qui quieſcentes tot per annos Regis cineres ſacrilega impietate audes perturbare? Hæc vbi dixerat: excepta ſtatim eſt altera vox paulo ſubmiſſior, ſed valdè lugubris, quæ Regis *Caroli* videbatur in hunc ferè modum reponentis,

CAROLVS.

EGo ſum infelix ille Angliæ Rex ſexaginta duorum Monarcharum, qui toti Angliæ imperitauere, indubitatus hæres, quique viginti & amplius annis diadema regium geſtaui.

Henric. Tùne verò Rex? Quaſi tu quidem diadema regium geſtâſti? Atqui caput tibi, quod illud cingat, penitùs deeſſe video.

Carol. Non ſemper capite carui, nuper me, (prôh dolor!) hoc infortunio ſubditi multauere.

Isthoc te infortunio multârunt ſubditi? Proh Dei atque hominum fidem! At quî fieri poteſt? Et quod tandem tam enorme admiſiſti nefas, quod ſubiectos tibi populos in iſtam rabiem adegerit? *Henr.*

Hoc equidem neſcio: illud tantùm affirmare auſim, nullius me thalamum violâſſe, nullius conſtuprâſſe virginẽ, neminem domo aut agris pepuliſſe: quorum tamen omnium *Henricum* eius nominis *Octauũm* deceſſorem quondam meum omnes per totum orbem reum peragunt. Dicant vel hi qui me huc conduxerunt, niſi vera loquar. Siluit deinde pauliſper tanquam teſtimonio locum facturus: & qui aſtiterunt Parlamentarij, demiſſis capitibus ſilentio aſſenſere veritati. (Et ſanè vera dicebantur. Nemo enim Regum ab orbe condito, *Henrico* illo magis impius fuit, vt qui *Cromuelli* ſui conſilio diuina omnia humanáque iura vel violauerit, vel poſteris ea violandi anſam præbuerit. Quantum autem ad *Carolum* nuper defunctum, nemo non modò Regum ſui tẽporis, dempta Heterodoxæ Religionis labe, verum etiam priuatorum aut iuſtior, aut ſanctior, aut denique ijs virtutibus, quę humanitùs attingi poſſunt, inſtructior fuit.) *Carolus*, vbi aduerſus à ſe dicta nihil opponi animaduertit, orſum ſermonem ſic proſequitur. Crimini mihi datum, quòd tradita à Maioribus imperij iura, & à me pacificè pluſquam ſedecim annorum regno firmata, armis tueri tandem voluerim: cum id inermis diu, ſed nequicquam (recalcitrantibus in me populis) antea tentâſſem. Hinc vſurpata Parlamenti auctoritate iu- *Carol.*

dices deſignati, qui de capite meo cognoſcerent: auditi aduerſum me teſtes decretoriè capitales & in perniciem meam iurati: dies indictus, vis illata, vt pro tribunali comparerem. Et quanquam Deum hominesque ſæpius teſtarer iura inuerti, violarique leges, nec vllam in terris poteſtatem eſſe, cui de capite meo decernendi fas eſſet: conſtare præterea actibus publicis arma priùs aduerſum me quam à me ſumpta: peractum tamen iudicium, ſeu veriùs iudicij ſimulachrum, quo ego capitis damnatus ſupplicium pertuli.

Henr. Proh facinus audax, & vt omnibus retrò ſæculis ignotum, ita apud poſteros vix aut ne vix quidèm fidem habiturum! Reges quoſdam à furentibus populis, ſeditionibus tumultuantis turbæ ſubitò oppreſſos forſitan accepimus: at quempiam eius faſtigij Principem per iuſtitiæ laruam à ſubditis ſuis (eiuſdem ſecum Religionis) ad mortem damnari & à carnifice publico trucidari, nullius maximè compertum flagitij, niſi quòd paterna auitáque iura propugnauerit, poſt Reges natos inauditum. Quod enim *Mariæ* Scotiæ Regina, neptis mea, crudeliter quidem & inhumanè (vti fertur) capite plexa fuerit, hoc non à ſubditis ſuis ſed à maledicta illa filia mea *Iſabella* Angliæ Regina factum, idque in Religionis odium: & propterea omnes Iſabellam illam ceu *Iezabelem* reſpiciunt, alteram velut Martyrem deuenerantur.

Car. Ne innocentiam meam nimis prædicare videar, admiſi, fateor, quo graue aliquod ſupplicium merui (quanquam tamen nuſquam mihi

eo nomine intentata lis est) cũ *Comitis Straffordiæ* supplicio, etsi lętus & inuitus, assensi: quem sciebam eius criminis innoxium, cuius insimulabatur. Itaque cũ Deũ respicio, illũ iustitiæ tenacissimũ parentẽ; illum cui longe iustius in Reges imperium est, quã Regibus in cæteros mortales, queri non possum adeò indignè fusum sanguinẽ meum, qui, vt alterius iniustè funderetur, Pilati more, consensi: quem tamen penitus insontem meopte iudicio priùs declaraueram.

Imò isthæc tibi miseriarum causã si fuisset, ij potiùs diuinam seueritatem suorum capitum dispendio sensissent, qui insontem reum fecere, téque inuitum, ac dum licuit, reluctantem, in illam sententiæ iniquitatem obtorto tanquam collo pertraxere. Itaque alia subsit, necesse est, tam diri in Regem supplicij causa. Nec magis ego reperire queo, cur mihi hîc obtruderis, quàm tu dicerè, cur è viuis ipse tam probrosa morte detrusus sis. Si Regibus, vt iactas, prognatus es, nonne te magis decuit apud Maiores tuos ossibus tuis sedem quærere, quam meam hîc quietem interrumpere? *Henr.*

Ego quidem moriens vehementer optaui patrio *VVestmonasterij* sepulchro condi, at qui me vitâ spoliârunt, hanc quoque pernegârunt gratiam: veriti, credo, ne si tam propè iacerem, vox sanguinis mei auribus eorum altiùs insonaret. Nec in hoc tantùm crudeles atque inhumani fuere, multa alia indigna atque grauissima in illo non simplici mortis genere sum perpessus. *VVestmonasterij*, vbi tum ego, tum Maiores mei Reges sunt inaugurati, capitis iudicium subire *Carol.*

coactus sum, & capitalem sententiam excipere vulgaris Iurisperiti ore pronunciatam: cum nemo Procerum (iuxta municipalia Angliæ iura) nisi à Regni Pare iudicetur. Ad *Dini Iacobi* arctè custodiebar, dum de capite meo ad inimicorum libidinem decerneretur: locus ob memoriam actæ illic pueritiæ mihi præcipuè amatus, vbi etiam iuuentam innocuis oblectationibus plerumque recreabam. Supplicio meo delectus locus; & ferale pegma erectum ante atrium Domus meæ, quò vt maiori cum ignominiâ & doloris sensu raperer, tractus sum per eas ædes, in quibus spectaculis interesse consueueram, atque exterorum Principum legatos Regiâ pompâ excipere. Vidi præterea toruis me tuentem, idque operto capite (quo indignationis sensu) vitæ necisque meæ supremum arbitrum, *Oliuarum Cromuellum*, tenui ortu hominem, & si, quæ à fortuna sunt, remoueas; regni Proceribus, multo magis Regi despicabilem. Sed quanquam hæc grauia omninò & miseranda videantur, illud tamen longè omnium acerbissimum, & morte ipsa acerbius fuit, quod stillantibus adhuc calido sanguine exsectæ ceruicis venis, vocem Præconis excepi capitalis supplicij interminatione vociferantis, nequis filium meum *Carolum* aut VValliæ Principem diceret, aut paterno regno hæredem destinaret. Et verò tum demùm manifestum apparuit, quod ab initio turbarum prudentissimus quisque coniecit, non tam Regem quam ipsum Regimen rebellibus displicuisse: sicque coniurâsse in exitium meum, vt regnum simùl extinctum voluerint. Id vnum in

tot malis mihi ſolatio fuit, quòd huc potiſſimùm deſtinatus fuerim, vbi te me humaniter excepturum non dubitabam, quippe ſororis tuæ *Margaretæ* abnepotem, illius nimirum, quæ *Iacobo IV.* Scotorum Regi nupta *Iacobũ V.* peperit qui ductâ in vxorem *Maria* Guiſiæ Duciſſa *Mariam* illam genuit, (de qua nuper mentioné feceras) quæ *Iacobum* alterum, patrem meum, Angliæ & Scotiæ ſceptris dedit. Huic ego *Iacobo Carolus*, patri filius eodem imperio ſucceſſi.

Hem, quid audio? Túne ille es Carolus Iacobo genitus ad quem à me poſt *Elizabetham* ordine ſucceſſionis regnum venit? Tu, inquam, is es, & necdum vides, cur te malorum iſte cumulus oppreſſit? Næ tu mihi in hac tenebrarum regione multum adhuc caligare videris. Nonne ſi memoriâ tenuiſſes me Eccleſiæ olim iugo collum ſubduxiſſe, quam totis viginti ab inito regno annis religioſſimè colui, imò & gladio & calamo propugnaui (propter quod titulo DEFENSORIS FIDEI à Summo Põtifice inſignitus fui) tum minùs mirarere populũ tibi ſubiectum poſt vigeſimũ imperij tui annum à te deſciuiſſe? Ignorare non potes me primum omnium Chriſtianorum Regum mihi Eccleſiæ Suprematum arrogâſſe, dicique voluiſſe Eccleſiæ Caput: quos titulos, vt nodo indiſſolubili Sceptro meo annecterem, multo (vah!) Sanctorum ſanguine coagmentaui. Hanc noxam meam pridem commiſſam, vti Regis ſanguis expiaret, & mõſtroſo huic Capiti & Sceptro ſimul erat pereundum. Hoc in fatis olim fuit, vti iam ex euentu rei clarè iudicandum eſt. Plura tibi aperiam. Vir illuſtris quidam fuit, me regnante, *Thomas* *Hem.*

Morus nomine, de quo multa proculdubiò accepisti. Hunc egregiis virtutibus adeò insignem, vt parem multis sæculis Anglia non tulerit, ego ex meritorum ac doctrinæ intuitu è vulgari Iurisperito regni Cancellarium feci, sed videbar eò fastigij euexisse hominem, vt mox eum altiùs deprimerem. Nam cum me Ecclesiæ Caput nollet agnoscere, dictamen suæ conscientiæ secutus, illum capite plecti iussi: ita nimirum dum *Callisthenem* agit, incidit in *Alexandrum*. I nunc tu & querere, quod vulgaris Iurisperiti sententiâ (quę, vti audio, *Bradshauium* nominant) tibi Ecclesiæ Capiti caput sit amputatum. An non potiùs agnoscis diuinæ iustitiæ admirandum planè tenorem? Graue tibi fuit eadem *Diui Iacobi* ædes carceris loco habuisse, in quibus, annis tenerioribus, innocuis lusibus oblectabas animum: At tibi in mentem non venit eas me ædes Ecclesiæ per vim olim rapuisse, vti non multo pòst omnia bona Monachorum, *Carthusianorum*, *Bernardinorum*, *Cistercienſium*, *Canonicorum Regularium*, cæterorumque omne genus Ordinum, sed præcipue *S. Benedicti*, (quorum & amplissima erant latifundia, & splendidissima per totam Angliam ædificia) fisco meo iniustissimè addixi. Itaque vt ego Religiosos innumeros, cæteróquin innoxios, carceribus vexaui quòd me Ecclesiæ Caput esse pernegarent, atque è domibus suis ad patibula duci iussi, ita tu Religiosam quondam Domum pro carcere habuisti, atque inde ad supplicium ductus es. Ego Abbates aliquot in Monachorum terrorem præ Domibus suis suspendio necaui: quid

mirum, ſi tu nunc in regum regnique terrorem pro foribus tuæ Regiæ ſupplicium ſubiiſti? An præterea neſcis ipſam tuam Regiam Archiepiſcoporum Eboracenſium domum fuiſſe, quam ego Cardinali *VVolſæo* extorſi, homini, quem ſummis honoribus ac diuitiis auxi, dum vtilem libidini meæ Miniſtrum credidi: ac tum demùm peſſumdedi, cum id auaritiæ meæ maximè expedire iudicaui. Nec ſolum Epiſcopales ædes profanis vſibus fœdaui, verùm omnes regni mei Epiſcopos exuere coëgi Romanæ ſedis obedientiam, ac meum in rebus Eccleſiaſticis primatum agnoſcere, præter vnum *Roffenſem*, eximium illum ac doctiſſimum Præſulem, *Ioannem Fiſcherum* nomine, quem, quia nec minis, nec pollicitationibus, vt idem faceret, adducere potui, Herodem imitatus *Act.* 12. gladio occidi. Vide igitur, an nõ fatale, ac diuinæ iuſtitiæ conſonum fuerit, vt fictum hoc Eccleſiæ Caput pro foribus Epiſcopi capite plecteretur? Ego *Cromuellum* quendam, loco ignobili natum, promouendo Suprematus mei negotio vicarium mihi adſciui, & Archiepiſcopis Epiſcopiſque hominem laicum præſidere iuſſi. Nunc alter *Cromuellus* ortu non diſſimili optimatibus tuis præſidet, & vitæ neciſque tuæ momenta temperat. Illo ego præcipuo Miniſtro vſus ſum ad arcendos à poſſeſſionibus ſuis Eccleſiæ alumnos, atque ad paternæ auitæque Religionis ruinam, quam dici volebam *Eccleſiæ Reformationem*: Huius præcipuè miniſterio tu vita regnóque exutus, nati inſuper tui paterno auitóque Imperio arcentur; Monarchia penitùs extinguitur: atque hoc per-

duellibus dicitur *Regiminis* siue *Status Reformatio.* Ego regnum hoc à patre accepi illibatum, absolutum, veréque regium, mortalium nemini re vlla obnoxium: tantùm Christi Vicario in spiritualibus (vti decet) submissum: Tu illud capessiuisti enerue ac saucium, Christi quidem Vicarij iusto suauique iugo diuulsum, at populi Vicariis, hoc est, Parlamentariis, plebeculæ suffragiis per totam Angliam delectis, turpiter (vti nunc vides) miseréque mancipatum.

Carol. Nimis quàm vera à te dici capitis iacturâ didici, sensíque nupèr me non nisi precariò regnum & vitam pro Parlamenti lubitu tenuisse: quamdiu à Summi Pontificis obedientia superbâ stolidáque contumaciâ per te liberatus fui. Tamen nunquam eò peruenturam Rebellium audaciam credebam, vt publicam securim & illam supplicij pompam meritò timere debuissem: venenũ magis & occulta consilia metuebã.

Henr. Id verò metuendum non erat: neque enim pœna sic delicto respondisset. Publica peccata palam expiari conuenit. Et ego postquam peccare cœpi, non timidè egi, nec criminibus perpetrandis angulos quæsiui. Impietati tantùm meæ iustitiæ speciem induxi: Ecclesiæ Primatũ velut iure debitum mihi arrogaui: Romanæ Sedis auctoritatem, coactis Comitijs regni Ordinum, decreto extinxi. Legitimæ vxori per iuris imaginem repudium nuntiaui. Ecclesiæ bona simili colore Fisco meo adiudicaui. Omnis generis homines Primatui meo aduersantes tanquam læsæ Maiestatis reos supplicio affeci. Itaque cum peccatis, quibus has calamitates

meruimus, iuſtitiæ velum prætenderimus, mirari non debemus, ſi pœnas laruâ non abſimili luamus.

Carol. At hæc per ſcelus à ſubditis in Regem auſa.

Henr. Fateor, ſed quanto grauiori ſcelere hæc commeruimus? Iſti in mortalem Regem peccauerunt: nos in immortalem. Sed tu (niſi impellente numine, criminibus his expiandis hoſtia deſtinata eſſes) non potuiſti regio iure Parlamentum reſcindere, atque ita popularis iudicij vim eludere?

Carol. Ego etiam illud pro virili mea diſſolui: Sed accipe quæ ſecuta ſunt. Scoti, naturales mei ſubditi, armati Angliam hoſtiliter ingrediuntur. His dùm me *Eboraci* oppono, Baro de *Kymboltonio*, nomine *Montacutius*, Comitis Manceſtriæ filius, (cuius ego patrem è cauſarum Patrono ad ſummos quoſque Regni honores, imò & ad iſtos Nobilitatis titulos euexeram) libellũ ſupplicem mihi porrigit duodecim Procerum Syngraphis notatum. Henricus Rex, vbi *Kymboltonium* nominari audit, poſt ingens ſuſpiriũ

Henr. ait. Ah! *Kymboltonij* deceſſit lectiſſima illa fœminarum, virtutumque omnium exemplar *Catharina*, quam ego thalamo meo expuli, vt procax ſcortum, *Annam Bolleniam* inducerem, cuius paulo poſt in adulterio deprehenſæ caput carnifice publico obtruncaui. Hoc repudium, contra fas & æquum, ſacrorumque ritum, firmũ vt maneret, ſummam mihi in Eccleſia auctoritatem ſumpſi, cum nempe ſcelus niſi ſcelere vltrà tueri non poſſem. Hæc mihi tibique ac regno noſtro malorum omnium origo fuit.

Carol. Et ab hoc porrecto abs *Kymboltonio* libello omnes meæ calamitates, vno veluti diluuij gurgite, cœpere. Namque ſupplicantibus (prôh dolor!) temerè conceſſi, vt Procerum aliqui ad Scotos legarentur, qui cum eis meo nomine agerent, me enim ratum fixumque habiturum, quicquid inter eos conueniret. Legati (ô fungos & improuidos, vel potius proditores perfidos!) Scotis inſidiatoribus concedunt, vt caſtra in Anglia habeant, donec pridem dimiſſum Parlamentum Regiâ auctoritate reuocetur. Comitia igitur, vt conuenerat à me, indicta: Scotis ſtipendium liberaliter ab ipſis numeratur, nec eos Angliâ excedere priùs ſinunt, quàm ego Regiam fidem meam ſcripto obligauerim, (ad quod etiam mihi conſuluit infauſtus ille *Hamiltonia* Dux, cognatus meus,) nunquam me Comitia iſta noua (niſi ipſis volentibus ac lubentibus) diſſoluturum.

Henr. O meram ſtupiditatem & inſaniam! Annon perſpiciebas eo te momento quo proteruis tuis ſubditis hoc conceſſiſti, vt omnia, quæ ipſis in animo erant, exequerentur, ſub ſpecioſo nomine *Senatuſconſulti Angliæ*, promittens in verbo Regis te Comitijs iſtis tuâ auctoritate conuocatis nunqnã interdicturũ: te Regali omni poteſtate temetipſum penitùs ſpoliâſſe? Ex illo tẽpore non mirandum eſt ſi tu cœpiſti *Morbo Comitiali* laborare. Hoc perinde erat ac ſi ſceptrum tuum cum diademate regio Parlamentarijs in manus tradidiſſes, promiſſo inſuper te obſtringens nunquam te ab illis ea, niſi ad ipſorum beneplacitũ, repetiturum. Ego ſanè ſubditos meos longè aliter

ter tractâſſem. Sed, vti planè video, menſura ſcelerum meorum in te tandem infelici ſchiſmatis hærede ac participe iam completa fuerat, & te ad exitium in læſi numinis propitiationem, mentis tuæ oculos excœcando diuina vltio protruſit. Nam

quos vult perdere Iupiter æquus,
Dementat prius hos.

Tu verò, quando eò ventum erat, honoribus ſaltem, largitionibuſque plurium tibi animos in ipſo Parlamento conciliare debueras.

Id etiam, vt potui, tentaui: at longè ſecus accidit, nam qui mihi fidi in Comitiis videbantur, Epiſcopi mei omnes & Catholici Proceres ab aduerſa factione ſtatim eijciuntur: Vtrorumq; enim ſumma in me ſtudia erant; Catholicorum, quod ſperarent temperaturum meorum legum aſperitatem, quæ à te, Edouardo Elizabetha, ac Patre meo in eos latæ fuerant: Præſulum quod à me (*Eccleſiæ* nimirum *lepido capite*) dignitates, fortunaſque, hoc eſt Epiſcopatus ſuos ac Beneficia Eccleſiaſtica ſarta tecta haberent conſeruata, quæ aliâs ruinam minitari videbantur. Amiſſis in hunc modum ſexaginta & amplius in Superiori Camera ſuffragiis (nam de Inferiori nihil curæ erat, quippe quæ iure Regni Angliæ, vti noſti, nihil habebat poteſtatis decernendi quidpiam in Superioris Cameræ Proceres, nedum in ipſum Regem, ſed officium eius tantùm erat, per libellos ſupplices grauamina Plebis (*Plebeiorum* enim *Domus* vocabatur) Superioris Cameræ Proceribus humiliter exhibere, vt hi deliberatione inſuper *Carol.*

habita, Regium conſenſum, ad eiuſmodi abuſus, ſiqui erant, reformandos impetrarent) quot ſupererant conſtantiores, aut mitioris ingenij homines, ſparſis paſſim libellis, vernarum quoque atque artificum minis tumultibuſque terrebantur, ne aut Domum ingredi, aut pro conſcientiæ arbitratu aliquid publicè eloqui auderent: ſeditiones eas incendentibus, ſummoque ſtudio fouentibus aduerſæ factionis Parlamentariis. Scribebantur præterea in me *VVeſtmonaſterij* libelli infamatorij ad eorumdem Parlamentariorum libidinem, qui ab eorum emiſſariis per omnes regni mei Prouincias circunlati à ſollicitatis quibuſdam prouincialibus ſignabantur, mox Comitiis porrigebantur, tanquam vniuerſi populi poſtulationibus, non ipſorum ſuggeſtione, omnia fierent.

Henr. Simili per omnia fraude vſus ego ſum ad Eccleſiæ ruinam. Primùm namque ſcriptis aut declamationibus Regulares Clericos vexantes impensè foui, atque id faciens præ me ferebam ſtudium non ruinæ ſed *Reformationis Eccleſiæ*: ſicut & tui Parlamentarij initio Rebellionis obtendebant (imo iuramento publico ſe obſtringebant) non moliri ſe aut regni aut Eccleſiæ aut perſonæ tuæ ſtragem ſed tutelam: quoſdam tantùm abuſus in Eccleſiaſtico & Politico ſtatu reformare, & malos à te conſiliarios amouere velle. Et ne quid vi cuipiam viderer aggredi, libellos ex mei animi ſententia dictandos curaui, qui mihi quaſi Monachorum nomine porrigerentur, hoc fermè tenore: *Quandoquidem diuinâ benignitate, meâque operâ factum eſſet, vt*

nouissimis his diebus discussa priorum saeculorum caligine, noua veráque Euangelij lux huic regno affulserit, orare se obnixè humiliterque, vt eos eximerem monasticæ seruituti, quæ certissima damnationis via sit, redderemque spiritus libertati. Quod si facerem, se ingrati animi argumentum, liberè atque volentes, neque vi, metu, aut fraude inductos, domos, agros, bona, iuráque sua omnia mihi in perpetuum cedere. Huius formæ libellos per monasteria omnia ferri imperabam, sollicitarique singulos, vt eis subscriberent: nolentes suspendio tolli: maximè vero Abbates ac claustrorum Superiores in cæterorum terrorem ac cautelam. Ita inducti erant plurimi præ timore mortis, vt eiusmodi formulis tamquam ex motu proprio subsignarent.

Ego etiam multa per vim signare tum in aliis carceribus meis, tum præcipuè in *Carisbrocensi Castello* coactus sum & (quod miserabilius est) testari etiam me id volentem lubentémque facere. Et tamen cum omnia concessissem, adeo abalienati erant omnium animi, præsertim circa Londinum, vt nihil ea facilitate proficerem, sed magis indies tumultus augerentur. Verùm vbi mutilum illud ac rebelle Conciliabulum (quod Parlamenti tamen nomine semper gloriabatur) regni Militiam, Arces, Armamentaria atque Classes in potestatem suam redigere animaduerti: tum demùm vitæ dignitatique meæ consulens, recepi me in septentrionalem Regni partem, atque ad arma respexi, cum alia tuendæ dignitatis via non superesset. Itaque erecto Regio Labaro confluunt vndique in *Carol.*

caſtra mea ſubditorum fideliſſimi, quorum breuiſ is numerus erat, vt ſeptenni & ampliùs bello contra Parlamentum ſuffecerit. Cernere præ ceteris erat Catholicos meos ſubditos incredibili ardore vitas fortunaſque ſuas pro mea ſalute per totam Angliam prodigentes. Hi nimirum, qui maleuolorum tam Proteſtantium quam Separatiſtarum calumniis anteà traducebantur tanquam proditores Regi regnoque ſuſpecti, quod eâ Iuramenti formulâ aſtringi nollent, quæ non ſolum ciuilem in Regem ſuum obedientiam, quod nunquam recuſabant (licet *Recuſantes* falsò nuncupentur) exigebat: Sed præterea mei in cauſis ſpiritualibus ſuprematus agnitionem, pariterque Pontificiæ auctoritatis eiurationem poſtulabat. Hi, inquam, licèt tali iuramento præter conſcientiam ſuam onerari nollent, iniurati tamen nihil penſi habebant, dummodo in Regem ſuum fidi inuenirentur. At iurati *Proteſtantes Puritanique* contra Sacramenti Religionem id totis viribus agebant, vt Regem ſuum vita ac dignitate penitùs orbarent, licet id ſe facturos iureiurando pernegâſſent. Nec vota ac molimina eorum ſucceſſu tandem caruere. Namque ego in ſumma rerum omnium egeſtate conſtitutus ſtipendiis militi deficientibus, eáque de cauſa ſoluto exercitu, me ad Scotos, tanquam ad *Triarios* recepi. At hi (ô ſingularem ac toti humano generi pudendam perfidiam) venalem me expoſitum licitantibus non parcè hoſtibus tradidere, qui me probè illuſum ac de carcere ad carcerem tranſmiſſum huc me miſeriarum redegere, quò tu vides.

Iuramentũ fidelitatis vulgò dictũ.

Iuramentum Nationale intell. quod Pactum vocant Angl. Couenant.

Indepẽdentes Angliæ intelligis.

Anglorum aliquot Parlamenti operâ & auctoritate à te defeciſſe minùs miror: atquî factum vt Scoti Contribules tui ſeſe hoſtibus tuis aduerſum te conſociauerint. *Henr.*

Ea ſanè Scotorum contra me trina defectio clades regni mei fuit. Nam ſi cũ ſolis Anglis res mihi fuiſſet, facilè eos ope aliorum ſubditorum fidelium tum in Anglia (qui duplo plures erant Rebellibus) tum in Hibernia in officio continuiſſem, Verùm Scoti hac occaſione deſciuere. Ego, cui nempè vt Eccleſiæ Capiti, id præcipuè incumbere credebam, vt non modò idem fidei tenor per omnes Ditionis meæ terras, verum etiam eadem ſacra, iidem ritus eædemque ceremoniæ obſeruarentur, *Archiepiſcopi* maximè *Cantuarienſis* hortatu, quem vt Patriarcham aliquem reuerebar, *Liturgiam Anglicanam* (quam *Publicarum Precum librum* vocant, auctoritate filij & hæredis tui *Edoüardi* primitùs conſutam) vnâ cum Dalmatica, ſeu linteo velamine in adminiſtratione diuinorum apud Anglos ſemper vſitato, irregularibus Scotorum Miniſtris (quorum nulla erat publica cultus Dei formula, nec miniſtrantium in templis ornamenti decor, ſed, prout Geneuenſi ritu fere comparatum eſt, extemporaneis precibus in Pulpitis vtentes, vnuſquiſque ſuas, ſicut in buccam venerant, effutiebat blaſphemias) vtendam iuſſi: iis qui ſecùs faxint, graue admodum ſupplicium comminatus. Quod vbi populus Scotiæ animaduertit, & in praxin redigi occœpit, Archiepiſcopo *Andreapolitano* iuſſu meo Liturgiam Anglicam in Eccleſia Edinburgenſi *Car.*

veſtitu Pontificali celebrante, Papiſticos ſtatim ritus obtrudi clamat. Et, quod notandum eſt, mulierculæ primas excitauerunt turbas : quæ arreptis, quibus inſederunt, ſcabellis tripodalibus, & proiectis in faciem Archiepiſcopi diuina facientis, bacchantes alta voce, *Numquid ſic Papa veniet ad nos* ? eum vi & armis Eccleſia expulerunt. Gliſcere inde ſeditiones publicæ, quæ Caluinianorum Miniſtrorum concionibus alebantur. Hi cum Angliæ Puritanis, & præcipuè cum *Hamdeno* quodam eius factionis Primipilo, miſcebant conſilia. Vtrorumque operâ breui factum, vt Scoti ad rebellandum ſemper paratiſſimi, primâ datâ occaſione, in Angliam tunc temporis pacatam, vt ſuperiùs demonſtraui, armata manu irruperint. Ex hac verò Scotorum inuaſione omnium meorum regnorum motus tumultuſque (tanquam flumen rupto obice) inundârunt.

Henr. Nunc enimuerò, *Carole*, luce meridiana clarius apparet affectatum nimis atque infauſto occupatum alite Eccleſiæ Primatum nos peſſumdediſſe.

Car. Ita quidem, nec abs re, videri poſſit. At nondum ſatis intelligere queo, cur non te potius mala hæc obruerint, qui Regum Angliæ primus hunc Primatum inuaſiſti, & conuocatis regni Ordinibus hunc tibi titulum (*Eccleſiæ Capitis*) Succeſſoribuſque tuis Edicto confirmâſti, potius quàm mihi, qui tantummodo relictum illum mihi à Maioribus pacificè retinui.

Henr. Ah ! *Carole*, multum erras, ſi me malis immunem exiſtimas. Numquam ſcelus ſuppli-

cium non ſequitur, nec impunè quiſquam impius fuit. Vt ſileam, quæ nunc patior: dum adhuc mortalis eram, quos cruciatus non tuli? tribus tortoribus ad ſupplicium traditus, *Auaritiæ*, *Sæuitiæ*, *Luxuriæ*.

Tam inexplebilis auaritiæ eram, vt cum trecenta ſeptuaginta ſex Monaſteria euerterim, bonáque omnia ac fundos eorum vno Edicto rapuerim, circumactus tamen annus non fuerit, cum ſubditos grauioribus quam antea vnquam exactionibus vexârim. Hoc primo morſu velut inceſcatus reliqua Regni Monaſteria (quãta & quam ditia?) non multo poſt in fiſcum redegi. Dum hæc raperem, ſpem faciebam ſubditis, Eccleſiæ bona ita ærario ſatisfactura, vt ipſi in perpetuum exactionibus vacarent. Res adeo populis grata, vt rapinis meis impensè fauerent. Verùm ita ſpe fruſtrati ſunt, vt poſt hæc plus ego vnus, quam omnes Prædeceſſores mei totis quingentis annis, exegerim. Poſtquam mille plus minùs templa ſpoliaui diruique, annexâque eis bona in vſum meum conuerti: aurum, argentum, vaſa ſacra diripui: æs, plumbum, rudera, parietinas, cæmentaque ipſa ac materiem omnem haſtæ ſubieci, atque ex vnâ *Cantuarienſi Eccleſia* arcas ingentes duas auro gemmiſque adèo graues, vt ſingulæ quaternis vix hominibus dimoueri poſſent: argenti præterea veſtiſque pretioſæ immenſam vim abſtuli: Poſt, inquam, hæc omnia per fas & neſas mihi corraſa, eò egeſtatis ſum redactus, vt, vbi primùm decem argenti vnciis duæ tantum æris ex Edicto meo miſcebantur: ego æris de-

cem argenti ſolùm duas curârim poſteà admiſcendas. Hunc in modum ab auaritia torquebar: nec mitius à crudelitate.

2. Totis enim viginti annis, quibus in Eccleſiæ communione vixi, nemo Regum minus ſanguinis fudit: nec niſi duo omnino Nobiles (per Nobiles intelligit Proceres ſicut mos eſt loquēdi in Anglia) toto illo tempore ſupplicio periere. At poſtquam ab Eccleſia defeci, non auri magis quam ſanguinis auidus vaſtam omnis ordinis, omnis ætatis, omnis ſexus cædem edidi, idque propter nullum aliud crimen, niſi quod meis voluptatibus reſtiterunt. Quatuor Reginas mihi nuptas, ferro aut vitæ tædio ſuſtuli: duas Principes fœminas: duos Cardinales: tertium abſentem ac mihi ſanguine iunctum, proſcripſi. Epiſcopum vnum, vti dictum eſt, decollando extinxi: alios ærumnis & carceribus oppreſſi. Duces, Marchiones, Comites aut Comitum filios duodecim carnifice publico trucidaui. Barones atque Equeſtris ordinis duodeuiginti: Abbates & Priores tredecim: Parochos ac clauſtrales ſacerdotes ſeptuaginta ſeptem: minoris nobilitatis atque è vulgo propemodum infinitos. Atque in hac tanta fæuitia nemini magis quam amicorum fidiſſimis metuendus eram, vt *VVolſai*, *Cromuelli*, *Bolleniorum*, *Howardorum*, *Norreſii*, atque *Comptoni* exitus docuere.

3. Iam verò in libidinem adeo proiectus eram, vt poſt repudiatam primam atque optimam vxorem, nullam fœminam paulo elegantiori forma conſpicerem, quam non arderem: vixque vllam arderem, qua non potirer. Annon

etiam in ſcelerum meorum punitionem factum, vt tu atque Pater tuus Angliæ regnum tenueritis, cum nihil ego intentatum reliquerim, quo viam vobis ad ſucceſſionem regni Angliæ præcluderem, atque per virilem ſtirpem regnum in domo mea firmarem. Duas vxores thalamo pepuli, totidem vita: quintam difficili partu laborantem viuam exenterari iuſſi, vt fœtus ſeruaretur; adiectâ etiam barbara ac inhumana voce, *faciliùs vxores reperiri quam liberos.* Sextam duxi, de qua etiam tollenda cogitabam, cum ipſe ſum è medio ſublatus. In hac tamen tanta poſteritatis curâ intra ſexaginta vitæ meæ annos, nemo meæ ſtirpis diu ſuperfuit. In Eccleſiæ videlicet ſuprematu mihi ſucceſſit nouennis puer, parùm ad ſeipſum, nedum ad Eccleſiam regendam idoneus: qui prius etiam è vita quam ex ephebis exceſſit. Accepit poſtea coronam ſed reiecit hæreſim legitima mea filia Maria, de cuius prole potui ſpem concipere, vt quæ Catholico Hiſpaniarum Regi per quinquennium nupta ſit, ſed noluit tot inceſtuum, ſacrilegiorum, homicidiorumque vindex Deus ſtirpem meam *hæreditare terram*, ipſe enim non irridetur, neque verbum eius cadit ſuper terram, qui dicit, *propter peccata patrum dies filiorum breuiabuntur.* Hac igitur ſine prole breui mortuâ, tranſlatum eſt imperium in gentem tuam: ſed filia mea notha & ex inceſtuoſo genita concubitu *Eliſabetha*, quæ & incapax regni, Parlamento Angliæ, me iubente, denuntiata fuerat, ingeſſit ſe in gubernaculum, & ſe Eccleſiæ Caput, meo exemplo, dici voluit;

Et ſic, quod Gallicana lege (quam *Salicam* vocant) cautum fuit, *Ne ſceptrum cadat ſuper colum*, in iſto monſtroſo Eccleſiæ regimine euenire vidimus; quod non ſolùm temporale ſed & ſpirituale ſceptrum ſuper colum miſerè cecidit: cuius etiam ſub vſurpato Pontificatu pluſquam mille ſacerdotes morte ſunt affecti : At
1. *Cor.* 14. ridiculum ſanè caput, quod elingue eſt, *fœmina* enim, teſte Apoſtolo, *in Eccleſia loqui non poteſt*. Ipſa tamen hoc ſibi munus regendi Eccleſiam Dei, mirabili audaciâ, vſurpauit, & muliebri ſolicitudine Epiſcopos ſuos mittens ad plantandum Euangelium, non vnam ſed multiplicem hæſereôn farraginem in Anglia (vt hodie videmus) ſeminauit: & poſtquam auiæ tuæ poſt ſeptendecim annorum carcerem caput amputauerat, innumeraſque alias crudelitates meo exemplo exercuerat, ſine prole etiam mortua ad inferos deſcendit. Sic in prima generatione deletum eſt nomen meum : vnde & inuenio verum, quod Propheta regius prædixit,
Pſal. 37. *Semen impiorum peribit*, & in alio loco, *Fructum eorum de terra perdes, & ſemen eorum de filiis hominum.*
Pſal. 21. Lugubri, inquam, experientiâ prophetiæ huius veritatem comprobaui. Ita quippe Deo viſum inſana hominũ conſilia deridere. Et hanc rationem ſubdit idem Propheta, *Quoniam cogitauerunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire. Non enim eſt conſilium contra Dominum*, vt
Ibid. *Prou.* 21. iam ſerò didici. Vis me huius rei veritatem tibi ampliùs confirmare ? *Edoüardo* filio meo moriens duodecim Tutores reliqui, omnes (vt putabam) Catholicos, demptóque Suprematu,

quem illum ſibi reſeruare volui, cætera Catholicum educari iuſſi Hæreſes (hac vnâ exceptâ) teſtamento excluſi. At qui Maiorum teſtamenta ipſe violaui, ac fundata ab eis templa, pietatiſque monumenta euerti, vt meum ſeruaretur, non merui. Ex tot Tutoribus *Dux Somerſetenſis* Edoüardi VI. ex materno genere auunculus, poſt mortem meam pupillo præfuit: atque is hæreſi infectus, quâ etiam puerum imbuit, illamque potiſſimum induxit, quam ego omnium peſſimè oderam, nempe *Sacramentariam*, quam & *Eliſabetha* poſteà confirmauit. Monumentum cineribus meis poni iuſſi longè ſumptuoſius, quàm quod vlli ex maioribus meis poſitum fuerat, & tamen adhuc monumento carui, quanquam ſoli mihi ex Britanniæ Regibus tres liberi regno ſucceſſerint. Neque tamen verendum mihi eſt, ne hominum memoriâ excidero. Sceleribus meis nominis perennitatem comparaui. Omne hominum genus odio in me certat. Summo Pontifici & Epiſcopis Catholicis meritò inuiſus ſum, quòd Angliam ab Eccleſiæ communione ſcidi: Religioſis ſum abominationi, quòd eorum familias extinxi, domoſque vendidi: Clericis æquè ac Laïcis deteſtabilis, quòd in vniuerſum Catholicum nomen eam perſecutionem excitaui, quæ etiamnum durat. Hæretici me odere, quòd in eos per omnem vitam ferro & igni graſſatus ſum. Lutherus *pinguem belluam & tyrannum* ſæpiùs vocauit. Caluinus calamum ſtrinxerat in portentoſum titulum Capitis Eccleſiæ, quem mihi arrogaui: meque etiam *belluinum hominem*

Calvin. in Comment. super 6. c. Amos.

omni timore Dei ac pudore hominum destitutum scriptis suis denotat. Literati omnes memoriam meam perpetuò execrabuntur, quod tot egregia antiquitatis ac literarum monumẽta (qualia vix ferè reliquus habet Christianus orbis) funditùs perdiderim. Denique dum adhuc in viuis eram, plerique me odêre, metuêre omnes, nemo amauit. Supremis diebus, scelerum conscientiâ (Oreſtis instar) agitatus, auulsum regnum Ecclesiæ corpori postliminio vnire volui, & resarcire (quantum potui) illatam vxori iniuriam. Postremum hoc aliquatenùs perfeci, namque exhæredatam priùs Mariam filiam, Catharinâ natam, vt in regnum mihi succederet, si Edoüardus filius sine liberis decessisset, testamento caui. Ah! quoties de primo, nempe de redeundo in gratiam cum summo Pontifice, sermonem cum amicis habui? sed vt multos anteà simili arte fefelli, tum quoque omnibus sum suspectus, & velut secreta eorum rimantem eludebant. Ita ab omnibus desertus extra Ecclesiæ communionem perij, suprema horâ subinde ingeminans, OMNIA PERDIDIMVS: & MONACHI, MONACHI! FRATRES, FRATRES! Mortuus eundem, quem Achab, exitum habui, atque hoc potissimum in ruina Religiosæ Domus. Nam dum corpus meum nimiâ saginâ atque enormi obesitate fœdum huc conueheretur, plumbo fortè, quo condebatur, fracto, intra dictæ domus rudera deponitur: ibi dum plumbarius reficiendo plumbo intentus huc atque illuc discurſat, canis eius effusum meum sanguinem auidissimè lambit. Vltio de-

bita Sacerdotum & Religioſorum ſanguini, quem ego fudi. Satin' vides, *Carole*, qualiter me Deus in perſonâ propriâ flagellauerit, ne me prorſus impunitum abiiſſe putes?

Grauiſſima quidem iſta ſunt, & omnis poſteritatis ſeriâ conſideratione digna. *Car.*

At quanquam hæc, quæ memoraui, mortalibus grauia videantur, meræ tamen ſunt deliciæ, ſi iis comparentur, quibus apud inferos perpetuò torqueor. Nam præter eas pœnas, quas propriis peccatis commerui, quidquid ab aliis ſucceſſoribus meis aſperiùs in Catholicos animaduerſum, quidquid nouum aut abſurdum in Religionem introductum, id omne cruciatus meos nouo incremento auget: eò quod Suprematus mei vſurpatione malis omnibus portam patefeci. Vt igitur cum recentibus quibuſque huius *tenebrarum regni* aduenis nouo tormenti additamento plector: ita æquum etiam eſt, (quandoquidem ſocietas afflictorum aliquod miſeriæ ſolamen eſſe perhibetur) vt ij mecum plectantur, qui errores meos fouent atque tuentur: qualiter tu feciſti, qui quantumlibet diuinæ iræ flagellum totis decem annis in tribus Regnis tuis grauiter ſenſiſti, idque ob negotium Religionis: ad extremum tamen vitæ halitum perſeuerâſti in Romanæ Sedis inobedientia, (Londinenſi Epiſcopo tuo te ad id ſubornante ac impellente) imò & non ſolum Suprematum à me tibi relictum, ſed & errores cùm ab Elizabetha, tũ à Patre tuo introductos (nam Edoüardum puerum prudens taceo) vi & armis, quantum poteras, propugnâſti: inſculpta numiſmati *Henr.* *Rel. Prot.* *monetis retiis in-*

culptũ. tuo (vt accepi) *Religionis Proteſtantica* epigraphe.

Carol. Vtinam vox illa *Proteſtantica* nunquam excogitata eſſet vel ſaltem meis nunquam inſonuiſſet auribus. Incepit primùm in Germania tuo ferè tempore : quo ſequaces Lutheri *Proteſtantes* dici cœpere, deinde in Angliam tranſlata eſt, vtque Elizabetha & Pater meus primi omnium ſuorum ſiue Angliæ ſiue Scotiæ progenitorum proteſtati ſunt, *Henrice*, in religionem veterem, quæ Catholica & Romana dicitur, vnde *Proteſtantes* ſunt vocati : ita progreſſu temporis ſuborta eſt Religio *Puritanica* ſiue *Caluiniſtica*, quæ in vtramque proteſtata eſt : quæ & Rituale noſtrum & 39. Religionis articulos refixit : & Epiſcopale regimen ſubuertit aboleuitque; & tamẽ *Proteſtantis* adhuc nomen ſibi vendicat : tandem ſuborta eſt *Independentium* ſecta, quæ in tres priores adhuc proteſtatur; hi in certum ferè alias ſubdiuiduntur *ſectas miſerè diſſectas*, quæ tamen omnes *Proteſtantes* vocari volunt. Forſan alia atque alia ex eadem Reformationis Hydra adhuc ſubnaſcentur, quæ in ſeſe inuicem ad infinitum vſque proteſtabuntur. Vtinam auitam Religionem cum nutricis lacte imbibiſſem. Nam & auia mea non ſolùm in Romanæ fidei confeſſione, ſed pro eiuſdem fidei defenſione ſanguinem profudit. Vt tamen alij pœnas mereantur ob errores ſiue introductos ſiue auctos, ob vexatos crudeliter Catholicos, ob vſurpatum vel retentum Eccleſiæ ſuprematum; certè ego in Religione nihil innouaui : in Catholicos eram omnium mitiſſimus : imò ad eorum religionem proximè acceſſi : de-

nique ſuprematu iſto omnium moderatiſſimè ſum vſus, & quia iudicabam illum homini laïco minimè conuenire, eius exercitium Archiepiſcopo Cantuarienſi ferè totum delegaui.

Et tu non animaduertiſti in hiſce turbis ex omnibus Angliæ Epiſcopis ſolum Cantuarienſem capite plexum? Inſigne vterque documentum, tu videlicet & ille, Regibus atque Prælatis, qui capitibus ſuis conſultum volunt, ne ſe Eccleſiæ capita, in præiudicium Romanæ Sedis, deinceps ferant aut prædicent. Quid autem tibi prodeſt ad Catholicã fidem propiùs acceſſiſſe, niſi illam penitùs amplexus eſſes. Non enim ſufficit in veſtibulo ſtare, niſi aliquis Eccleſiam ingrediatur. Imo multi in hiſce locis ſubterraneis grauioribus torquentur pœnis quod veritatem agnitam non ſunt ſecuti. Agrippæ regi non ſuffecit ad ſalutem, quod *in modico fuerit Chriſtianus*, imò quòd, prædicante Paulo penitus non conuerſus fuerit, nunc in inferno mecum gemit. Nonne & ego in omnibus fidei dogmatibus Catholicus fui, excepto vno Romani Pontificis ſuprematu, at *qui in vno peccaui, factus ſum omnium reus*. Et qui pepercit D. Paulo *quæ ignorans fecerat in incredulitate*, mihi non miſeretur, quia prudens & ſciens perii. Quam præterea friuolum illud quo à te crimen deprecari ſatagis, dum ais, ſuprematum Eccleſiaſticum te non exercuiſſe ſed delegâſſe Cantuarienſi, quaſi non exercuiſſes, quod alteri exercendum delegâris. Imo & *Straffordiæ Comitem* iuſto Dei iudicio propterea capite truncatum putem, quod tuum etiam geſſerit

Hen.

Act. Apoſt. c. 26.

Iac. 2.

in Hibernia Vicarium Ecclesiæ Caput.

Carol. Vt in totum culpæ exors non fuerim, tamen cum multo me moderatiùs gesserim in Suprematus negotio, & in promouenda Ecclesiæ pace quam cæteri omnes, scire vellem, cur omnium longè grauissimè puniar.

Henr. Nondum scilicet obseruâsti *Deum illum zelotem qui visitat iniquitatem patrum in filios*, quam grauissimas magnorum scelerum pœnas exigere solere in tertia maximè & quarta generatione: ne si omnes statim delinquenti infligeret, mortales crederent enormia quæque facinora citò ac facilè aboleri, neque eas in tam seras generationes differt, vt peccantis memoria perierit, ne ignorari possit, quod ob scelus pœna infligatur. Tu nunc quartus ab incepto schismate Rex, atque in quarta generatione pœnas luis. Quanquam enim duæ filiæ meæ, Maria atque Elizabetha, regnârint successiuè; vnam tamen cum Edoüardo fratre earumdem, eodemque filio meo generationem faciunt. Si igitur aut generationes aut reges numeres, mihi *Edoüardus*, *Iacobus* huic, tu *Iacobo* successisti. Nec nisi diuinitùs prorsus factum putem, vt te potissimùm, quippe omnium moderatissimum, innocentissimumque tam dira vltio ceperit, vt omnes nimirùm intelligerent, non tam peccata tua quàm hæreditaria mala, atque annexa titulis tuis scelera vindicari, iuxta illud, *Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt.* Quod non ita intelligendum est, ac si filij omninò innoxij flagitiosorum patrum pœnis obruantur (*anima* enim

Ezec. 18.

quæ

quæ peccauerit, ipſa morietur) ſed quòd filij minus noxij & veluti inſontes comparatione patrum ſuorum, eorumdem pœnis ſæpiùs inuoluantur. Si enim iſtud ſupplicium tempore cuiuſdam luxurioſi & ſcelerati Regis accidiſſet, non aliunde eius cauſam quam in propriis huiuſmodi excarnificati Principis criminibus inueſtigâſſem. Quod verò tui ſubditi, qui ſeipſos *Proteſtantes* vocant, te cuius vitam vel inimici tui vlla vitij labe nequeunt aſpergere, hoc mortis genere affecerint, nimirum minuendo caput: non in aliam certè cauſam refundendum eſt, quàm in capitale noſtrum crimen, quod *Eccleſiæ Capita* vocari voluerimus. Vtque ego fui mei nominis *Rex vltimus & primum Caput Eccleſiæ*: ſic tu, infelix *Carole*, *Rex* nominis tui *primus* es, & *vltimum Eccleſiæ Caput*.

Ibid.

Henricum Sapiẽtũ Octauus

Carol.

Diuinum certè Iudicium ſuper me grauatum valdè ſentio: quia ſicut ex vno falſo principio multa abſurda ſequuntur dogmata, ita ex tua infelici à Romana ſede Apoſtaſia, multæ aliæ ſunt ſubſecutæ: & quanto recentiores, eo deteriores. Tu incepiſti ſcelus, alij auxerunt, alij denique conſummârunt: & ego tandem omnium pœnas luo. Tu, poſtquam regnum & Epiſcopos Angliæ à Summi Pontificis obedientia auulſeras, haberi voluiſti *Independens*, & Eccleſiæ Anglicanæ Supremum Caput: nunc verò longo pòſt tempore, Deo ſcelus vlciſcente, prorupit Secta *Independentium*, qui cum neque à Rege, neque ab Epiſcopis, imò neque à *Presbyterianis* (hoc eſt à Scoticanæ factionis Caluiniſtis) dependere voluerint, primò meum

caput vicarium in ſpiritualibus, Archiepiſcopum ſcil. Cantuarienſem, decollârunt : deîn (dictu horrendum) meis humeris naturale abſciderunt caput. Vnus erat tuo tempore *Crõuellus* arcanorum tibi conſiliorum præſes, qui tibi Regi vt Eccleſiam deſtrueres, auctor fuit : nunc verò ex eadem emerſit propagine *Cromuellus* alter, qui populo auctor fuit, vt deſtrueret Regem. *O quàm iuſta ſunt iudicia Dei & inueſtigabiles viæ eius! per quæ* enim *quis peccat, per hæc* ſeriùs aut citiùs, in ſe vel in poſteris, *torquetur*. Vtinam dum adhuc in viuis agerem, vel ſaltem diuturni carceris mei tempore, quando ſatis ſuperque mihi reſtabat otij, hæc omnia ſeriò animaduertiſſem. Vtinam *omnes annos meos* & multiplices diuinæ iuſtitiæ apices ſuper caput meum lentè procedentes *recogitâſſem in amaritudine animæ meæ*. Mihi quidem vacabat ſcriptitare, imò de aliis rebus librum integrum componere, ſcilicet de exercitus mei clade, de ærumnis ac miſeriis meis, de ſubditorum ac præcipuè militum perfidia, procacitate, & inſolentiis: hæc autem, de quibus ſummè ante omnia meditari oportebat, mihi in mentem minimè venerunt. Vtinam honeſtus ille (ſic enim ſolebam vocitare) Londinenſium Epiſcopus, nomine *Inxonius*, vel fidelis ille mihi in rebus temporalibus Conſiliarius, qui me vnicè dilexit & vitam ſuam in cauſa mea ſuſtinenda, prodegit *Guilielmus Laudus*, Cantuarienſis Archiepiſcopus, de his quæ ad ſalutem animæ ſpectant, me vel per literas vel per amicos ſaltem monuiſſet : (nam trienni ante obitum carcere

Teſtibus omnibus Angl. Chronologis. Rom. 14. Sap. 11. Iſaiæ 38.

incluſus ſatis habebat ad hæc ruminanda tem- *Luc.*
poris) *ſed hæc abſcondita fuerunt ab oculis eorum.* 19.
O quam cœci fuerunt *Videntes* mei!
Iam ſero ſapimus, ſed ſine fruge, Phryges.

Vtinam & illud homines pependerent, Par- *Hem.*
lamentum (cuius nominis Idolomania multi & præcipuè Angli faſcinantur) cuius meo tempore vis omnis atque auctoritas penes Epiſcopos & ſeculares regni Proceres erat, qui *Domum Superiorem* componebant, (nam inferior Camera, vti dixiſti priùs, habebatur nihili) nunc ſic caſtigatum, vt vtroque Ordine turpiter eiecto omnis poteſtas ad vulgus redierit. Nimirùm qui per fœdam adulationem, nullo Numinis habito reſpectu, mihi olim vt Eccleſiæ Capiti aſſentati ſunt, nunc ipſi (Parlamenti Capita videlicet) ſub pedibus protriti ſunt ac conculcati: hoc eſt tertio Ordini (quamuis abſque vllo ordine) ſubiecti. Nam etiamnum Anglia, vti planè video, ſimilis facta eſt Inferno huic ſubterraneo, (*ibi enim nullus ordo ſed ſempiternus horror inhabitat, ibi Fortis armatus cuſtodit atrium ſuum & in pace ſunt ea quæ* (per vſurpationem) *poſſidet.* Huius autem Tertij Ordinis ea nunc firmitas videtur, vt Monarchia in te *Rege ſuo Climacterico* ſupplicium paſſa, vix ſit vnquam, niſi diuino planè miraculo, caput erectura. Iam adimpleta eſt prophetia Habacuc 11. de ſucceſſoribus meis in Regno Angliæ dicentis in perſona Eccleſiæ Cathol. *Percuſſiſti caput de domo impij, denudaſti fundamentum eius vſque ad collum: maledixiſti ſceptris eius, capiti bellatorum eius: venientibus vt turbo ad diſ-* 63.

Anglia Infernum quoddam ſuper terrã. Crõuellũ intell. perillud. Luc. Carolus Rex Anglia

Hab. 3. *pergendum me.* Et propterea Dauid Propheta Regius omnes per totum orbem Reges admonet, ne in posterum potestate sua meo exemplo contra Ecclesiam Dei abutantur. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram.* Væ! Væ! Væ!

Ps. 2.

Vbi verò astantes *Cromuelliani* Milites intelligebant Monarchiam vix vnquam ex præsentibus calamitatibus emersuram, erigebant animos, atque magno impetu sese è portis *Ecclesiæ VVindsorianæ*, cum effuso etiam risu, effundebant: læti se instrumenta fuisse diuinæ iustitiæ exequendæ ad tollendum è medio heterogeneũ & Laïcum Ecclesiæ Caput: at ignari, aut minùs secum reputantes parentem aliquem plerumque virgas ipsas quibus filium castigauerat, in ignem denique abiicere solere. *Lento enim gradu ad vindictam sui diuina procedit ira, tarditatemque supplicij grauitate compensat*, inquit Saluianus.

Reflexio super Colloquium duorum Regum recèns memoratum.

REBVS itaque semper in deterius vergentibus, Numineque vltionem scelerum prosequente factum est, vt non solum potestas Regia in Anglia, sed etiam *Domus Procerum* post mortem Regis planè sit abolita, quo viam sterneret ad formam democraticæ reipublicæ (quam hodiè videmus) introducendam. Nouis quippe petulantis populi & Caluinismi

oestro magis magisque perciti clamoribus in altum indies surgentibus, postquam omnes moderatioris ingenij Proceres ante occisionem Regis, vti dictum est, è Superiori Camera vel electi, vel exterriti, vel denique tantum subolentes, quod aliqui machinabantur, facinus, maturè se subduxerant: qui residui erant in eadem Camera post Regis mortē Nobiles pauci admodum numero, ijque nullo honoris sensu præditi, sueque planè nobilitatis vt & beneficiorū Regis immemores (quorum præcipuus erat ipsius Regis Cubicularius) è subsellijs suis à *Communibus* in Inferiorem deuocati Cameram, sese Parricidis istis in vnum idemque corpus turpiter aggregare non sunt veriti: donec inde paulò post à populo explosi, pudoréque non mediocri suffusi, senaculum istud vile sibi ipsi derelinquere coacti fuerint. Sic tandem *Domus Procerum* in derisum & ludibrium abijt, & fæx ista, quæ debebat fundo adhærere, toti iam supernatans dolio se magistram appellari gaudet. *Domus*, inquam, *Plebeiorum* seu veriùs fæx & reliquiæ eiusdem (multi enim ex honestioribus Prouinciarum Deputatis, publicum detestati nefas Senatum istum vltrò deseruerant) sibi nomen & auctoritatem *Parlamenti Angliæ* perfricta fronte arrogat: &, quæ priùs Regi, ipsis Regni Proceribus iura dare non dubitat. Nihil autem mirum est, si impij & rebelles subditi Regem suum adeò bonum, clementem, iustum, optimæque indolis principem tam ignominiosæ morti addixerunt, quandoquidem inuerso rerum ordine vti S. Ambrosius dicit

S. Amb. de virg. l. 3.

de Herode & Herodiade in Ioannis Baptistæ carnificio: *ab adulteris iustus occiditur, & à reis in iudicem capitalis sceleris pœna conuertitur.*

Et multùm sanè dolendum est, quod Serenissimus ille Princeps, qui pro crimine Romanæ & auitæ Religionis in Angliã reducẽdæ, qui pro tuendo Episcopali in Ecclesia regimine contra hippomaniam *Caluinistarum*, sanguinem profudit, pro illo inquam præcipuo Christianæ ac Catholicæ fidei astruendo dogmate (quod Act. Apost. capite 20. axiomaticè descriptum legimus) *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: qui tot egregia virtutum, tum in vita, tũ in passione eius edidit specimina, pietatis, humilitatis, patientiæ, resignationis propriæ voluntatis voluntati Dei, & eiusdem etiam submissionis voluntati hominum propter Deum: qui tam diuitem ac fructuosam, in conspectu inimicorum, Crucis vsuram fecit: in ipso tamen portu (quod verendum est) naufragium sit passus, dum *in Ecclesia Anglicana Confessione, qualem sibi reliquit Pater eius* (hoc est extra Catholicæ Matris communionem) vltimum se obire diem palam profitebatur. Scimus quidem patrem eius *Iacobum*, primum omnium Scotiæ Regum hæresi imbutum & à teneris vnguiculis in eadem miserè fuisse educatum: paulo tamen ante mortem conuocatis Comitiis, Catholicis per totam Angliam, Scotiam, & Hiberniam *conscientiæ* (quam vocant) *libertatem* indulsisse, & Cancellario Angliæ in mandatis dedisse, vt emissis in omnes Ditionis suæ Prouincias literis, chirogra-

pho eius munitis, omnes quotquot pro Religionis negotio, siue sacerdotes, siue laici, in carceribus detinebantur, euestigiò ab eisdem relaxarentur. Quod & factum est, & Catholici omnes libertati suæ restituti sunt: & eiusmodi libertas progressum proculdubio habuisset, nisi hortatu, impulsuque impii *Buckingamia* Ducis (qui repentina & formidanda morte postmodùm periit) violatis cum Catholici Regis filia, quæ priùs ratæ fuerant, nuptiarum induciis, omnia in fumum euanuissent: Hoc enim pessimo consultore, inuenis *Caroli* animus, (qui tunc erat Princeps VValliæ) transuersim agebatur ad quærenda noua animæ suæ desideria in præiudicium primæ datæ fidei: quod nec Deus impunitum reliquit, excitando perfidiam subditorum contra Regem suum: quare enim Rex quereretur de subditorum erga se perfidia cum ipse fidem Deo solenniter datam primitùs fefellerit? Et forsitan, si benè illud in memoriam reuocâsset, magis ei conscientiam, quàm mors *Straffordiæ Comitis*, exulcerare debuisset. Hoc enim non leuem dolorem Regi *Iacobo* peperit, vnde & pia eius intensio frustrata fuit, & ipse haud ita multo pòst è viuis excessit. Certum igitur est *Iacobum Regem* extremis temporibus ad Catholicam Religionem valdè propendisse, quam & forsitan paulatim in Anglia restaurâsset, nisi morbo haud vulgari subitò correptus & præoccupatus morte (cuius causa *Bucquingamio* vertebatur crimini, nescio iure an iniuriâ) spatium illud peragendi minimè habuisset. Et propterea religio mihi est de hisce rebus temerè aliquid pronuntiare. Hoc

1. *Cor.* 13. tantum audeo dicere, quod Apostolus Paulus disertè ait, *Si habuero prophetiam &c. & si distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum: & si tradidero corpus meum ita vt ardeam* (hoc est si habuero omnem fidei ac virtutum speciem) *charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest.* Non est enim vera charitas, vbi vera non est fides, quæ extra Ecclesiam Catholicam, ordinariè loquendo, neutiquam reperitur. Deus quidem secundum legem suam extraordinariam pro infinita sua bonitate & misericordia saluare potest *inter pontem & fontem* (quod dicitur) *inter malleum & incudem:* sed hoc arcanæ voluntati eius non scrutinio hominum reuelatur: Optandum sanè esset, modò immensæ eius misericordiæ visum fuisset, vt Rex ille Carolus (qui talem habuit propensionem animi ad veterem & Catholicam Maiorum fidem, qui tanta ac tam indigna passus est Romanæ Religionis suspicione atque odio, ab ijs qui prætextati *puritatis* pallio vim omnem *pietatis* negant, qui siquid vel externum ordinem, decentem in templis deuotionem, vniformem Dei cultum sapere videatur, *Papismi* illud illicò insimulant) in articulo mortis veræ fidei iubare diuinitùs irradiatus, ad martyrii pariter cum Auia coronam euolâsset. Sed quod affectus optare suadet, fides vereri docet: quandoquidem Veritas edicit quòd *Corde creditur ad iustitiam: Ore autem fit confessio ad salutem.* Illud magis dolendum est ac sanguine deflendum, quòd paternorum quidem infortuniorum hæres, regnorum autem exhæres *Carolus*, qui per decennium & ampliùs à morte Patris in exilio consenescit, nec

tam prolixa diuinorum iudiciorum ſerie admonitus, nec tantorum fulminum fragore expergefactus lethargum iſtum ſibi demùm excutere incipiat, ſed in eadem ſciſſa à Catholicis communione perſeueret, quæ manifeſtam ac neceſſariam regi Patri ac regnis ſuis ruinam attulit, vti clariſſ. ille ac neruoſiſſimus huius ſæculi ſcriptor, *Theoph. Brachetus Milleterius*, pluribus abhinc annis, duobus ad ipſum datis libris, validiſſimis rationum momentis luculenter demonſtrauit. Vbi etiam non ſolùm Caluiniſtas, ſed omnes vſpiam gentium hæreticos, dum ſe habere fidem, aut Eccleſiam eſſe crepant, manifeſtæ vanitatis vſque adeo conuicit, vt nemo Miniſtrorũ ex illo tempore negry quidem ei reſpondere audeat. Et hæ quidem rationes, meo quidem iudicio, tantæ ſunt efficaciæ tantæ porrò euidentiæ, vt non ſolùm *os obſtruxerint loquentium iniqua*, ſed ex earum lectione, niſi quis cor habeat lapideum, vel callum animo ſuo datâ operâ obducat, couuertat ſe, hæreſeωſque faſcinum, quantumcumque altas radices egerit, ex animo eijciat neceſſe ſit. Quippe omnibus ibidem palam facit rectè deductis conſequentijs ab ipſis primæuæ Reformationis (quam vocant) principijs, *Proteſtantes*, *Puritanos*, *Bruniſtas*, *Independentes*, cæteroſque Angliæ ſectarios, id quod faciunt, neceſſariò & ſecundum Caluini Aphoriſmos facere: hoc eſt, *in circuitu ambulare*, ſpiritu vertiginis agi, *Andabatarum* more pugnare, ſeſéque inuicem ad infinitum vſque calcinando repurgare: quin & non ſolùm Epiſcoporum, ſed &

Regis Angliæ interitum, ex primis Reformatorum placitis, tanquam riuulos ex fonte proprio, promânasse : ac proinde nullam reperiri posse veram Regi Angliæ conscientiæ pacem, nullumque ei medium recuperandi pristina Patris dominia relictum esse, nisi ad veteris Ecclesiæ Matris communionẽ, vnde Maiores eius superiori sæculo infeliciter apostatârunt, ab eodem postliminio redeatur. Rex enim Angliæ *Henricus*, primus omnium Europæ Regum per Apostasiam peccauit contra Dominum, & propterea potestas regia ibidem ab eo grauissimè flagellatur : si quis autem flagellum Dei supra dorsum suum sentiat, peccatum autem propter quod immissum est, non deserat, stulta nimis confidentia ab eo se liberandum autumat. Quo magis miror Regis Caroli hæredem, quem Carolum II. vocant, postquam sensibili Dei iudicio, in ruina Patris regnum suum perdidit, ad Deum non recurrere, nec regnum eius, hoc est, Ecclesiam Catholicam, cum iustitia ad id requisita, debito ordine perquirere, quo postea terrestre regnum suum felicissimè inuenire valeat : quin potius salutẽ sibi & auxilium a *brachio carnis* adpromittere : & à quali, sodes, *carnis brachio*? A brachio nimirum hæreticorũ, nunc *Protestantium*, nunc *Independentium*, nunc *Presbyterianorum*, regno suo stabiliri, spe ludificatus toties, iterum iterumque ariolatur. *Filij hominum, vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium* ? Quasi vero hæc genimina viperarum, quarum proprium est corrodere, euiscerare, ac destruere; quæque Re-

Ps. 4.

gi *Carolo* ac regno eius fatale operatæ ſunt excidium : mutata indole monarchiam foue-re, conſolidare, vitamque aliquo modo huic tam demortuo cadaueri reſtituere velint aut poſſint. Multa quidem, Caluini ope, regna de-ſtructa euerſáque nouimus, at nullum hactenus ab eo aut fœtura eius reſtitutum extructúmue animaduertimus, aut in poſterum animaduer-ſuri ſumus. *Vulnus & auxilium Pelias haſta tu-lit*, dixit ſemel Poeta Ethnicus, at quibus hi ſcorpiones dirum inflixerunt vulnus, nulla eis ratione medicari queunt. Quanto ſatius eſſet Regi Anglię humana ope deſtituto, ſub *potenti manu Dei* Patris ſe humiliare, & in vlnas Ma-tris Eccleſię (quæ effuſis eum lachrymis præ-ſtolatur) geniculando ſe proiicere, *captiuato omni intellectu in obſequium Chriſti*? Fidelis eſt & verax qui promiſit, *quærite primùm regnum Dei & iuſtitiam eius : & hæc omnia adiycien-tur vobis*. Quod ſi temporali regno regnum Dei poſthabemus, caueamus ne vtrumque amitta-mus; & *tenebrarum regnum*, cum Diabolo & Angelis eius, inſuper hæreditemus. Dixit olim Dauid Rex Iſrael in anguſtiis conſtitutus, *Bo-num mihi eſt quia humiliaſti me*: & poſtea, *Leua-ui oculos meos in montes vnde veniet auxilium mihi*: Ad quos montes leuauit ſuos oculos Rex Iſrael? Numquid ad *Montes Gelboe*? Numquid ſuperbo corde reſpexit ad ſuperbiæ montes (quales ſunt omnes infideles & hæretici, qui propterea vocantur *altitudines extollentes ſe con-tra ſcientiã Dei*. 2. Cor. 10.) vt in eis opem ſuam collocaret? Abſit, *Odini*, inquit ille, *Eccle-*

Mat. 6.

Pſal. 118.

Pſal. 120.

siam malignantium, & cum impijs non sedebo pſ. 25. Ad quos ergo montes? Audiatur ſanctus quidam Eccleſiæ Doctor. Loquitur Propheta in perſona Eccleſiæ Chriſti Militantis: *Leuaui oculos meos in montes*, hoc eſt inuocaui Sanctos in cœlis cum Chriſto regnantes, vt eorũ precibus & interuentu apud Deum (propter peccata mea aures precibus meis obturantem) malis meis medelam accerſerem: inde enim *veniet auxilium mihi.* Per montes igitur intellige viros olim eminentes gratia in terris, nunc eminentes gloria in cœlis: de quibus dicitur, *Pſal.* 124. *Montes in circuitu eius*: & *Fundamenta eius in* 86. *montibus ſanctis*: & rursùs, *Illuminans tu mira-* 75. *biliter à montibus æternis.* Tales ſunt Beata Virgo, Regina Sanctorum omnium; tales ſunt *Apoc.* 21. Apoſtoli portæ cœleſtis Hieruſalem: tales ſunt purpurati Martyres, Lucidi Confeſſores, Candidatæ Virgines, cum toto cœleſti Sanctorum choragio, qui in confeſſione Catholicæ fidei ex hoc mundo tranſierunt *lauantes ſtolas ſuas in* *Apoc.* 22. *ſanguine agni & iam ſequuntur agnum quocunque ierit.* Ad hos igitur cum fiducia confugiamus in anguſtiis, quæ nos premunt, vt eorum precibus ſolatium à Medico noſtro in mediis malis reperire mereamur. Hoc eſt enim vnum ex priuilegiis eorum qui deſertis *Eccleſiæ Malignantium*, Hæreticorum videlicet diſcordantium caſtris, *Sanctorum Communionem* (quæ *terribilis eſt vt caſtrorum acies ordinata*) ingrediun- *Pſal.* 118. tur, vt verè poſſint cum Dauide dicere; *Particeps ego ſum omnium timentium te & cuſtodientium mandata tua*, hoc eſt omnium Eccleſiæ

per totum orbem Militantis, imò & in cœlo Triumphantis, orationum beneficio ac municipatu fruor. In hanc felicem ſuprà quam dici poteſt ſocietatem, ſi ſapiat, quamprimùm ſe conſciſcet *Carolus*, vt poſt omnia humana media infeliciter tentata, huiuſcemodi fructus verè experiatur. *Oliuarius Cromuellus*, quem ſuſcitauit Deus in flagellum Regis *Caroli* & filiorum eius, quique erat verus Mons ſuperbiæ, *extollens ſe contra omnem ſcientiam Dei* & *ſupra omne quod vocatur Deus*, imo qui *ſedit in templo Dei* prædicando & ſcripturas ſuo more explicãdo, tanquã verus Magni illius Antichriſti Prodromus, quæſiuit quidẽ regnũ, ſed non regnum Dei. Hic enim, diſſipato perduellionum cœtu, quem *Parlamentum* vocant, ſceptrum ſibi occupauit, quo & gauiſus eſt, & percuſſo cum Francorum Rege fœdere, Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ populis per aliquot annos abſolutè imperitauit. Quin & multa terra mariq; præclarè geſſit, & regnum ſuum, ſub *Protectoratus* titulo, ſuper *Richardum* filium confirmauit. Et longoforſan tẽpore perdurâſſet, ſi de Deo, *per quẽ Reges reguant*, in veritate cogitâſſet. At quia de Regno Dei ſtabiliendo minimè laborabat, & mero *carnis brachio*, nimirum militum viribus, fidebat, affinis eius *Fletwodus* paulo poſt mortem patris, in filium eius proditoriè conſpirans (*neque enim lex iuſtior vlla eſt* -) & reuocato veteri Senatorum (ſi diis placet) collegio, *Cromuellianum* nomen pariter & regimen, perinde ac ſi tale aliquid non fuiſſet; nictu oculi dixpunxit. Ex-Ieſuita quidam ardelio, nomine

Ludouicus Gandauenſis Bracheus (prout aſſentatoribus vſu comparatũ eſt) *Oliuariũ Cromuellum*, inſcripto ei libro magnifico tribus abhinc annis, inſtitutoque inter *Oliuam & Oliuarium* Parallêlo, (Deus bone!) quot Elogiis ad cœlum extulit? Inter alia *Religioſum Principem*, ac *ſeruum Dei* nuncupauit. Et quidem ſeruum Dei eum fuiſſe non diffiteor: ſed eo ſenſu quo Deus Nabuchodonoſorem Regem Babylonis *ſeruum ſuum* vocat Ierem. 27. Et quo ſenſu vel dæmones ipſi ſerui Dei ſunt, iuxta pſalm. Hebr. *ſpiritus procellarum*, *facientes verbum eius*: Pſ. 148. & in alio loco, *Ordinatione tua perſeuerat dies*, *quoniam omnia ſeruiunt tibi*: Pſ. 118. ſic enim impii etiam ac ſceleratiſſ. homines diuinis iudicijs exequendis inſeruiunt. At quo ſenſu illum *Religioſum* nominaret ſcriptor nullius (vti dicunt) religionis, non parùm apud me demiratus ſum: donec perquiſito & attentè lecto libri capitulo, vbi iſtum titulum *Oliuario* affingit, eum ludere in æquiuoco & nuper exeogitato vocabuli conceptu didicerim. Per nomen enim *Religioſi* ipſum plenum eſſe religionum, & eaſdem, inſtar fœminæ prægnantis, parturire haud obſcurè intelligit. Quippe ab eo agnitis ducentis Religionum, quæ ſub eius dominio vigebant, ſectis: ſic ait, *Tuam diuinam Religionem ſummèque politicam amulari debent*, Oliuari, *qui Religiones hic iam receptas, dum reipublicæ clauum primò tenere cœpiſti, ſumma complecteris vrbanitate, benenolentia fones, antoritate protegis. Quo tibi Religioſi nomen ab omnibus, & meritò quidem tribuitur,*

cum ſingulorum Religioni faueas, &c. Admittens quippe ex principiis *Independentiæ* indifferentiam omnium Religionum, quæ Chriſti nomen profitentur, (excepta Romana & Catholica) hoc elogium ſibi iure optimo promeruit (non quale D. Benedicto tribuunt antiqui Patres, quod iuſtorum omnium replebatur ſpiritu) ſed quòd *Omnium Hæreticorum ſpiritu plenus erat.* Iamque ſublatus è viuis huius rei veritatem illætabili experientia proculdubio comprobauit. Quapropter hoc in loco inſeram narratiunculam, quam nuperrimè accepi à Typographo, cuius operâ iſthæc in lucem euulgantur, quæ ſic ſe habet.

Aliquot *Cromuelliani* milites, qui Regis *Caroli* ſepulturæ & Dialogo ſupra recitato interfuerant, dum forte fortuna ſub initium æſtatis vltimæ 1659. prope oppidum * *Huntingdoniam* oſcitabundi ſpatiabantur; audito in aëre horribili vlulatu pedem fixerunt, & poſt paulum coruſcante circumquaque fulgure, decem atri ſpiritus apparuerunt, trahentes poſt ſe captiuum quendam catenis vinctum, qui in hunc modum lamentabili voce exclamauit. Hui! Quò me immiſericordes rapitis Tortores? Et quò tandem miſeriarum ex ſummo mundanæ fortunæ apice infelix cecidi? Num ſic oportet *Sereniſſimæ Altitudinis* inſignitum titulo, qui tribus Regnis, poteſtate pluſquam Regiâ, arbitrario iure dominabar, nullo honore in hac Regione veſtra proſequi, ſed in infimum omniũ locum me detrudere? Cui reſpondit vnus è nigris ſatellitibus. Eæ ſunt leges huius Regni,

* Locus natalis *Oliuarii Cromelli*, nuperi Anglor. Protectoris.

cuius tu nuper accola factus es, vt quo quis ambitiosior euaserat in terris, hîc profundiùs in ignominiæ barathrum demergatur. At liceat mihi (rettulit captiuus) saltẽ vt Tribunum aliquem legionum infernaliũ sub vestro Principe mereri: hoc enim esset statui meo congruentius. Cui satelles. Hoc tuo non permittitur arbitrio. Habemus hîc seuerum Regẽ, cuius plebiscitis velis, nolis, obtemperandum est: huius imperio vllatenus rebellare nefas. Voluit hic captiuus plura in oppositum murmurando replicare, cũ princeps quidam Dæmon superueniens (qui *Henrici Octaui* referebat speciẽ) & virgas igneas in manu gestans, his illum verbis excepit. Eho Carnifex! Num tu vis hîc sententias loqui? Tune verò, qui Regis tui caput, in superiori mundo, securi percutiendum curauisti, & sceptrum eius tibi & hæredi tuo scilicet, insatiabili superbia, arrogâsti, vis etiam hîc in inferno principari? *Apage furcifer* (& flammantibus illum virgis flagellauit) *descende ocyùs. descende*, inquam, *furcifer, in locum tuum.* Quibus dictis, omnes citò disparuerunt: & attoniti milites, dolentesque miseras Imperatoris quondam sui vices, demissis auribus in sua quisque abierunt.

FINIS.

Prediction admirable de *Michel Nostradamus* Astrologue & Medecin du Roy Charles IX. touchant la mort de Charles I. Roy d'Angleterre, dans sa neufuiesme Centurie des Propheties, quatrain XLIX.

Gand

Gand & Brucelles marcheront contre Anuers,
Senat de Londres mettront à mort leur Roy:
Le Sel & Vin luy ſeront à l'enuers,
Pour eux auoir ſon regne en deſarroy.

Ou par le *Sel & Vin* il entend la France, qui fournit le Sel & Vin à l'Angleterre : & de faict l'Eſtat de France luy a eſté a l'enuers, puiſqu'il a ſupporté l'authorité & receu l'Ambaſſadeur de celuy, qui auoit fait trencher la teſte a ce pauure Roy.

Extraict de la huictiéme Centurie deſdites Prophéties de *Michel Noſtradam.* quatrain LXXV. imprimées l'an 1603. au commencement du regne du Roy *Iacques* d'Angleterre, pere du deffunct Charles I. touchant le gouuernement d'Angleterre par *Olinier Cromuel.*

Plus Maquelin, que Roy en Angleterre,
Lieu obſcur né par force aura l'Empire:
Laſche, ſans foy, ſans loy ſaignera terre,
Son temps s'approche ſi prés que ie ſouſpire.

Ou par *Macquelin*, qui eſt vn vieux mot Gaulois, il ſemble entendre quelque facquin, ou homme de neant.

Extraict de la deuxiéme Centurie de *Noſtradamus* quatrain LXVIII. touchant le reſtabliſſement du Roy d'Angleterre.

De l'Aquilon les efforts ſeront grands,
Sur l'Ocean ſera la porte ouuerte:
Le regne en l'iſle ſera reintegraud,
Tremblera Londres par voille deſcouuerte.

Ou par *l'Iſle* il entend ſans doute l'Angleterre, qui s'appelle *l'Iſle* par excellence, comme eſtant la plus grande Iſle, qui ſoit en Europe.

CONFESSIO CATHOLICÆ VERITATIS, ET CONVICTIO HÆRETICÆ Vanitatis.

Excerpta ex quibuſdam Orationibus habitis in Publicis Regni Angliæ Comitiis initio Rebellionis Parlamentariæ An. 1640. & 1641. ab *Edouardo Dering*, Equite Baroneto, & pro Comitatu Cantuarienſi ad Inferiorem Cameram deputato: ex Anglico ad verbum in ſermonem Latium traductis.

Ex quibus manifeſtè patet, etiam ipſis Reis confitentibus, omnes in Anglia Sectas, quæ ex *Catholica* primùm, poſtea ex *Proteſtantica* Communione, animo reformandi, exierunt: veritatis fontem dereliquiſſe, nec vnquam populum Angliæ reperturum veram conſcientiæ pacem, aut vllius Religionis ſtabilimentum, donec in Veteris Eccleſiæ gremium, à qua infeliciter deſciuit, reuertatur.

Duo mala fecit populus meus, Me dereliquerunt fontẽ aquæ viuæ & foderunt ſibi ciſternas: ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. Ierem. 2.

Quiſquis ab hac Catholica Eccleſia fuerit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quod à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum. S. Aug. ep. 152. ad Donatiſtas.

Londini, Typis I. A. 1659.

LECTORI S.

SVSPICABERIS forsitan, Lector, videns tot ac tantas pro Catholica Veritate euidentias, hominis ex animo Romanam Religionem detestantis ore prolatas esse, Interpretem, cuius operâ hæ Orationes, post elapsos fere viginti annos, publicæ factæ sunt, mala fide tecum agere. Quam suspicionem vt animo tuo prorsus eximas, si Editorem tibi non ignotum statâ horâ conuenire velis, ipse tibi, authenticam & integram Deringi *editionem Anglicano idiomate eiusdem sumptibus impressam, paratus est ostendere: quo tua hac ex parte curiositati fiat satis.* Magna *enim* est veritas & prævalet, *quandoquidem diuinâ prouidentiâ factum est, vt Eques iste, instar Caiaphæ, dum nihil aliud agebat, quam vt Christum totis viribus persequeretur, ei tamen licèt inuitus testimonium perhibuerit.* Deus *enim* noster, non est sicut Dij eorum, & inimici nostri sunt iudices. *Quæ quidem auctoris Editio, partim quia Catholicæ veritati adstipulari, partim quia intolerabilem Parlamentariorum amentiam detegere videbatur, Parlamenti iussu, igni adiudicata & carnificis publici manibus* Londini *concremata est: hoc tantùm excepto Exemplari, quod è flammis raptum, inter Editoris manus adhuc vsque asseruatur, de quo etiam te præmoneri æquum iudicauit. Vale & fruere.*

CONFESSIO CATHOLICÆ VERITATIS &c. excerpta ex Orationibus *Edouardi Dering* habitis in Publicis Regni Angliæ Comitiis.

Cum quibuſdam annotamentis & obſeruationibus neceſſariis.

DOmine Orator,

Plurima loquuti ſumus, & nonnihil etiam de facto attentauimus ad exteriorem Religionis noſtræ partem rectè ordinandam: vulnus autem noſtrum ſanguinat interiùs: Multum quidem operæ impenſum eſt in deformatis formulis Eccleſiæ reformandis, & in ipſis gubernaculis de nouo gubernandis: At enim hæc non niſi folia ſunt religionis bonæ, ſed quæ tamen curatura noſtrâ digna eſſe fateor, ad decorem ornatumque conſeruandum: immo folia quædam apta ſunt & conſeruatu neceſſaria vt germinibus iuxta ac fructui adumbrandis tegendiſque inſeruire poſſint. Fructus a. totius bona vita eſt, quam vobiſmet polliceri neutiquam debetis, niſi germina pura ſint & integra: i. e. niſi doctrina noſtra ſana ſit ac vera.

* *Nota, quod per* Oratorem *intelligitur Prolocutor Inferioris Comitiorum D mus, hoc eſt, ille qui præſidet toti Senaculo, & eſt quaſi vox & interpres eiuſdem Domus, poſtquam Aſſeſſores ſinguli optiones & ſuffragia ſua dederint de re propoſita: quo munere in Superiori Camera fungitur Angliæ Cancellarius.*

Domine, Ex intimo cordis dolore iſthuc lo-

quor: interea dum in amputandis componendisque foliis tantisper occupamur, seu potius dum aliqui ex nobis omnia eiusmodi folia penitùs auulsa vellent, nostra germina afflantur sydere: & dum hîc de regimine ac ceremonialibus Ecclesiæ medicandis arbitri sedemus, recepto in ipsis doctrinalibus inficimur veneno. Ante cuius portam iacebit horum omnium crimen & reatus? *Qui non vetat peccare, cum potest, iubet.* Sen.

Verum est hæc mala non consensu nostro nasci, & tamen (nescio quo infelice fato) hac tempestate reperitur inter nos tam *omnia audens libertas*, tam scelerata impunitas euulgandi singulorum capitum singulas sententias, imò, vt propriùs dicam, omnium vtriusque sexus hominum varios de Religione sensus (sensus insensiles) vt eius similis audita nunquam fuerit in quouis sæculo, in quauis gente, vsquedum præsentia hæc comitia coacta fuerint. Nostrûm interest cauere, ne protectio nostra (protectio, inquam, huius honoratissimi consessus) per quorumdam ad omne facinus proiectam audaciam, ad fines minùs rectos prostituatur. Si in nostra potestate situm sit remedium aliquod, maturum, inquam, opportunumque remedium magnis hisce ac prægnantibus malis adhibere, & si nos quantumuis moniti illud facere negligamus, horum hominum peccata nostris omnium capitibus superinducimus. *Alienum qui fert scelus, facit suum.* Sen.

Liceat mihi vobis vnam aut alteram instan-

tiam proponere, vnam quidem pro centeſima eorum parte, quibus templorum Pulpita, ac Præla noſtra Typographica paſſim ingemiſcunt.

Nota. *Ex his quæ ſuprà dicta ſunt, æquo cuiuis lectori iudicandum relinquo, quidnam ſibi voluerint recentiores iſti Theologiæ magiſtri, qui ad nos ſuperiori ſæculo venerunt veſtimentis ouium,* LVTHERVS, CALVINVS, BEZA: *vti etiam* PISCATOR, PARÆVS, VRSINVS, *aliſque Diuinatores Belgici, qui tam multa tamque plauſibilia ſcriptis ſuis de Libertate Chriſtiana commentati ſunt. Nonne cuiuis facile perſpicere licet, & Chriſtianus Orbis longo vſu comprobauit, quod in animos hominum immunitatem quandam inuexerũt & prolubiũ quidlibet credendi? Quid enim aliud apud iſtos Nouos Doctores paſſim reperitur, quam huiuſmodi Theſes,* Conſcientiæ Chriſtianorum debent eſſe liberæ. Leges Humanæ non obligant conſcientias. Si Rex, vel Magiſtratus ſit hoſtis Eccleſiæ, nec reformatio ab eo impetrari queat, tunc Reformatio incũbit eis, quos Deus donis ad hoc neceſſariis inſtruxit, *&c. Nonne ex his poſitis rectè ſequitur, vt natus quiſpiam Fibularius, aliuſue artifex, non modò in Religione tantum ſapiat, quantum ipſi videbitur, verum etiam in Politicis tantum audeat, quantum impunè & pro re nata commodè potuerit. Quæ cum ita ſint, non ſatis miror Equitem iſtum Anglum (hominem non illiteratum) quandoquidem doctrinæ Caluinianæ adhærere videatur, grauatè tamen ferre, quòd eadem in praxim apud ſuos redigatur: hoc eſt, Principiis aſſentiri, inde tamen deductis*

consequentiis refragari. Quorsum itaque tam iniquè quiritaretur, quod reperiatur inter eos tam omnia audens libertas ac libido euulgandi omnium hominum varios de Religione sensus, *quandoquidem illud nonnisi effectus sit & κάνημα γένιον Euangelismi Caluinistici, qui docet verum scripturarum atque adeo Religionis iudicium ex vniuscuiusque priuati spiritus dictamine arcessendum, imò particularem spiritus persuasionem, communi totius Ecclesiæ, licet ab eodem spiritu inspiratæ, testimonio anteferendam esse.*

Primò, *Domine Orator*, offert se nobis certa quædam recèns nata, ignota, ignara, periculosa, perditáque Religio *Independentiæ*: nunquid addicti sumus huic *Independentiæ*? An verò addicti sumus huius *Independentiæ* fratri paulùm natu maiori, *Presbyterio* Geneuensi? Nondum audiui quêpiam intra hosce muros ingenuum, qui in fauorem alterutrius horum Regiminum sua animi sensa hîc publicitùs asseruit. Et tamen, Domine, fautores fotoresque facti sumus harum tam discrepantium tamque repugnantium Innouationum. Testimonio mihi sunt variorum librorum nobis omnibus inscriptæ Dedicationes.

Quinimò ambæ hæ Regiminis formulæ vnà cum Episcopali illa nobis sese ingerunt, & harum quælibet Diuinitatis frontem pro se obtendit.

1. *Episcopatus* dicit se diuino iure niti, & certò, Domine, diuinam auctoritatem multo potiori iure pro se vendicat, quàm quæuis alia.

2. *Presbyterium* Scoticum seu Geneuense ius

diuinum etiam pro ſe iactitat.

3. Immò iſthæc illegitima recula, iſthæc heri-nata *Independentia* audet etiam ius diuinum pro ſe venditare.

Ita Eccleſia Anglicana, haud ita pridem Reformatæ Religionis gloria, hodiè miſerè laceratur ac diſcerpitur. Ægrè iam dici poteſt, quænam ſit Eccleſia Anglicana. Quò nos vertemus in medelam?

Nota. *Multa quidem erant in Eccleſia Regali-Proteſtantica Angliæ, quantum ad externum cultum ſpecioſa, & ad Eccleſiæ Catholicæ formam accedentia, in tantum vt à multis eiuſdem ſimia nec immeritò vocaretur: ſed quæ, vt reliquiæ Romanæ Religionis, ſuo tempore erant repurganda, &* Caluini *runcâ euellenda, vti ſuprà dictum eſt; At quando vocat eam Eques noſter* Reformatæ Religionis gloriam, *eum ex eorum numero eſſe, qui* in ignominia ſua gloriantur, *certum eſt. Scire enim debuit nullam eſſe poſſe glorioſam Eccleſiæ reformationem, niſi per eiuſdem auctoritatem, idque ab eis qui in eius communione permanent, quemadmodum mulier in Euangelio, quæ perdiderat drachmã, non exiuit è domo ſua, ſed diligenter* ſcopis euerrebat totam domum, *donec illam inuenerit. Et qui Domum Dei, vti ait Bernardus, eorum iudicio immundam, veluti quibuſdam ſcopis extergere ſtudent, non eam derelinquere, ſed intra eiuſdem limites ſe continere debent. Et certè nihil magis pudendum eſt, quam filium aliquem deſertâ Matris ſuæ domo, abiecta omni verecundia (quemadmodum* LVTHERVS, CALVINVS *&c. Reformatores noſtri) meretricia eam turpitudinis inſimu-*

lare. Si enim Ecclesiu est domus Dei, columnæ & firmamentum veritatis, *quemadmodum testatur Apostolus* 1. *Tim.* 3. *contra quam* portæ inferi (*i. e. falsorum dogmatum artifices*) non prævalebunt *Mat.* 16. *quemadmodum experti sumus iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ iuxta prædictionem Prophetæ Regij ps.* 120. Sæpe expugnauerunt me, dicat nunc Israel: Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi &c. *qui Eccleſiam Dei fugiendo criminantur, eam* (*vtputa columnã veritatis*) *non reformant,* (*hoc enim ex ſuppoſito eſt impoſſibile, cum veritas reformationis non ſit capax:* Ecclesia *enim ab Apoſtatis* Reformata *tantundem ſonat, ac* Veritas falsitate expurgata, *quod contradictionem implicat*) *ſed ſeipſos omni infidelitatis & vitiorum genere deformant. Et hoc Miniſter quidam Anglus, cui nomen* Cosenus, *qui in palatio Reginæ Angliæ Pariſ. nutritur, concione ad populum habita in Eccleſia Dunelmenſi olim confeſſus eſt* (*Deo ſcilicet veritatem ex ore infenſiſimi eius hoſtis extorquente*) *his nimirum verbis,* Primi Ecclesiæ nostræ Anglicanæ Reformatores, dum abolerunt Missam, omnem pariter bonum ordinẽ euerterunt: locoque Reformationis pepererunt deformationem. *Hic tamen, mutatâ nuper ſententiâ, deperditam Eccleſiam ſuam* Charentoniæ *inani opera* (*vt audio*) *quæſiuit, ſed eam non inueniens obſtipo capite tandem remigrauit.*

2. Si mihi agendum esset cum aliquo Pontificio [*ſic enim Catholicos vocant hæret. in Anglia*] vt ipsum ad nos reducerem: Respondet ille (sic enim mihi iamiam responsum fuit) Ad

quam me Religionem perſuaderes? Quænam eſt Religio. quam profitemini? Confeſſionem veſtræ Eccleſiæ, quam 39. Articulos vocant, plurimi ex vobis conteſtantur: Publicam, ſolennem Liturgiam veſtram plerique deteſtantur: &, quod his duobus maius eſt, Eccleſiam veſtram non habere tres eſſentiales, genuinas, vnicaſque veræ Eccleſiæ notas infiniti alii proteſtantur. Quam ergo Religionem mihi in animum induceres? Vbinam, quæſo, inueniam, agnoſcam, videam, aut legam Religionem illam cuius vos profeſſores eſſe dicitis? Obſecro te, *Domine*, reſponſum mihi ſuppedita, quo Pontificio huic os obſtruere poſſim.

Immò, *Domine*, Pontificius iſte ſuppetias in hoc negotio habet vel inter noſmetipſos huius Parlamenti aſſeſſores. Nam dum ego interfui cuidam *Commiſſariorum* veſtrorum cœtui, ibidem audiui publicè aſſertum ab vno ex eiuſmodi *Commiſſarijs*, quod nonnulli Religionis noſtræ Articuli aliquid contineant ſacræ ſcripturæ contrarium.

Nota. *Egregii ſanè reperiuntur in Anglia* Proteſtantes, *qui contra ipſam eſſentiam Eccleſiæ ſuæ ab* Elizab tha *Reformatæ proteſtantur, eamque verbo Dei è diametro oppoſitam eſſe contendunt. Et reuera tamdiu tamque acriter contra eam proteſtati ſunt, donec authoritate* Parlamenti *& Confeſſio Fidei tanquam hæretica, & Liturgia Publica tanquam ſuperſtitioſa & idololatrica: & Epiſcoporum ſuorum Regimen tanquam Antichriſtianum penitùs damnata fuerint. Per Commiſſarios intelligit Parlamenti Delegatos. Solent enim è Parlamenti corpo-*

re delegare quosdam ad res priuatim examinandas, qui vocantur les Committéz.

3. *Domine Orator*, Dominica apud nos est Sabbathum : Dominica non est Sabbatum. Vtraque propositio vera est & tamen vtraque falsa secundum varias suas acceptiones : & nodus iste (arbitror) dentibus nostris dissoluendus difficile admodum negotium faceſſet.

* Nota. *Acerrima contentio obortæ est in Anglia per aliquot annos ante conuocationem huius* Parlamenti *inter Puritanos & Episcopales Protestantes de Sabbati obseruatione. Quidam contendebant diem Dominicam, (quandoquidem succeſſit in locum Sabbati) debere ex vi IV. Præcepti (quod apud Catholicos cum Augustino III. est) debere eodem rigore obseruari, nimirum abstinendo ab omni opere seruili, &c. ac antiquum illud Sabbatum Iudæorum ; Alij volebant vetus illud Subbatum reuocare, quia præter* Traditionem, *quam accepimus à Pontificijs, non suppetit alia (dicebant) authoritas è sacris literis immutandi Sabbatum, aut illud transferendi in diem primam hebdomadæ, quæm* Dominicam *vocant : quum tamen Præceptum de obseruando Sabbato à Deo Moysi sub grauißima interminatione latum, ad semper obligare debeat. Alii vsque adeò Iudaizabant, vt multas obseruationis Iudaicæ leges introducerent, nempe vt ab esu laridi & farciminum, aliisque lege Mosaica prohibitis abhorrendum esset Quæ quidem consuetudo à longo tempore per totum Scotiæ regnum inualuit, vbi caro porcina aut botelli nullibi manducantur.*

4. Vultis instantiam paulo facilierem ? Quidam asserunt legitimum esse flexis genibus

percipere Elementa noſtræ S. Communionis: alii contendunt eſſe aliquid expediens: alij premunt tanquam neceſſariũ: & non deſunt alij qui abhorrent ab eiuſmodi geſtu tanquam ab idololatria. Hoc autem confidenter dico, *Domine*, te non poſſe facilem hanc controuerſiam adeo inter nos dirimere, quin multi ſemper inueniantur * *Contradicentes.*

* Nota. *In omnibus Reformatis, quas vocant, Eccleſijs, priuatus* Caluini *ſpiritus neceſſariò loum habet, qui vetat aliquid tanquam orthodoxum admittere, quanta quanta fuerit loquentis auctoritas, quod non priùs ad palatum facere ſuo cuiusuis genio videatur.*

5. Secunda D. Petri epiſtola iam nuper Apoſtoli eſſe pernegatur. Noſtrum fidei Symbolum, Sanctorum, inquam, Apoſtolorum * Symbolum impræſentiarum diſputatur, abnegatur, inuertitur, exploditur à quibuſdam, qui ſeſe inter nos puriſſimos omnium vbiuis gentium Chriſtianos exiſtimari vellent. Reſilii nuper præ ſtupore & iracundia audiens mechanicum quendam artificem adeò in rebus Theologicis inſoleſcentem, vt confidenter mihi coràm in os diceret, ſymbolum meum non eſſe verum fidei ſymbolum: ille, me ſtupente, pariter conſtupuit, ſubiunxitque, *ſpero Dominationem tuam ſapientiorem, eſſe quam vt adhibeat fidem iſti rei, quam vos Apoſtolorum Symbolum nuncupatis.*

* Nota. *Hoc ipſo Anno* 1641. *excuſum eſt Londini* (*quod adhuc videre eſt*) *auctoritate huius Parlamenti* Nouum fidei Symbolum, *à veteri illo*

Apostolorum valdè dissonum : in quo Descensus Christi ad inferos, *cum tribus aut quatuor aliis Articulis, prorsus expungitur ; & in eorum locum noui subrogantur : sensusque aliorum variè peruertitur. At in hoc quòd articulum* de descensu ad Inferos *è Symbolo extulerunt, honestè magis & ingenuè se gerunt, quam Caluinistæ Galli, qui dum illũ Symboli articulum suo more recitant, quem non credunt, Deo in faciem blasphemant. Quod dum alij de secunda Christi sepultura, præter Caluini sententiam, intelligunt, non minus ridiculè & blasphematoriè illud exponunt.* Carolus Derelinquurtius, *Minister Charentonicus, qui videtur nomen suum trahere à verbo* derelinquere, *emisso ante aliquot annos in lucem contra Methodistas libro, fundauit nouam hæresim super illa Christi in cruce verba* (Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me ?) *per quæ Articulum illum sic explicat,* Credo Christum descendisse ad Inferos, *hoc est*, Inferos ascendisse ad Christum, vt diuinam eius animam damnatorum pœnis in Cruce torquerent : *Hoc enim per totum suum librum probare nititur : quâ nescio an sit vlla horribilior blasphemia. Et hæc, ni fallor, eo animo scripsit, vt nomen suum apud posteros perpetuaret, quo sequaces eius Hæretici non immeritò* Derelinquurtiani *vocarentur. Dixit olim Diabolus ad Christum,* Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant *Mat. 4. in quo* Transubstantiationem *filio Dei fuisse verbo simplici possibilem agnouit, Ministris Caluinistis longè fidelior : qui eam vt impossibilem & ridiculam explodunt. Sed relinquo ista, vt Orationem Equitis nostri attentè persequar, qua sic pergit.*

O Deus bone, in qua tempora reſeruâſti nos! S. Polycarp.
Ita ἕνος ἀτόπου δοθέντος ἄλλα συμβαίνει Dato vno abſurdo, multa alia ſequuntur, inquit Ariſtoteles: & quando ſemel relicto veritatis tramite per erroris præcipitium cœperis decidere, nullus reſtat fundus, vbi pedem figas, donec in imum barathrum deſcenderis, in quo etiam fundus nullus.

* Nota. *Ecce alia euidens recognitio firmitatis quæ eſt in Eccleſia Catholica: & omnium ſectarum, quæ ab ea receſſerunt, inſtabilitatis. Poſita enim Eccleſiæ fallibilitate (quam ſupponunt omnes hæreſiarchæ & quòd de facto errauit à fide, donec illi extraordinario modo miſſi fuerint &c.) nihil mirum eſt ſi infinitas hæreſes, ex alia aliam, reſtibili fœcunditate pullulaſcere ſubinde videamus.*

Audebo vobis, *Domine*, adhuc vnam, & vnam tantùm inſtantiam proponere. Acerbè iam inuehuntur plurimi contra Publicam Liturgiam noſtram, quamuis primorum ſui* Fabricatorum ſanguine conſecratam. Aliquas quidem eius partes rectè admodum corrigendas eſſe ſentio: At populi clamores in ſublime ſurgunt: Impudentia ſeu potius ignorantia frontem adeò perfricuit, vt iam à plurimis clamosè ſatis expectetnr præſcriptas omnes publici cultus formulas abrogari funditùs: quod ad Epiſcoporum ex Eccleſia extirpationem, ea ſpes iampridem deuorata eſt: & appetitu æquè auido Liturgiam abolendam eſſe, ab eiſdem anhelatur, vt ſic Eccleſia Anglicana in ſolennibus ſuis publiciſque Orationibus deinceps fiat tanquam garrulus impudenſque blatero extemporaneus.

Insulsa, stupida & planè inscia quorundam optio. Prudentia huius Domus nunquam, vti spero, tam profundè subsidet: nunquam tale aliquod pietatis & iudicii deliquium patietur: Quod si euenerit, humiliter meipsum submissurus sum igni, inquam, fascibusque submissurus, potiùs quàm huiuscemodi decretis. Tunc enim proculdubio futurus sum *Hæreticus Anti-Parlamentarius.*

* Nota. *Iusto Dei iudicio factum est, vt ea Religionis formula in Anglia, quam* Liturgiam Publicam *vocãt, eadem auctoritate rescinderetur, qua consuta ac contexta fuerat, hoc est, resolueretur in in sua prima principia, ex quibus componebatur. Consuta quidem primitùs fuit à Senatu Proditorum (quem Parlamentum vocant) sub Minori Rege, nimirum* Edouardo *nonenni puero, & contra vltimam voluntatem Patris eius nuper mortui, præsidente impio* Somersetiæ Duce: *& iam rescissa ac damnata ab altero eiusdem farinæ Senatu, qualis ille fuit, qui Regem* Carolum *morte affecit. Compilatores huius Liturgiæ erant quidam mulierosi Pseudo-Episcopi, quorum præcipuus erat* Cranmerus, *qui habuerat quatuor vxores antequam ad Sacros Ordines promoueretur, qui vnà cum cæteris huius nouæ Religionis architectis, à Regina* Maria Henrici *filia igni combustus est. Traducta quidem maximam partem fuerat è Ritualibus ac Missalibus Romanis in sermonem Anglicum, sed cum ijs mutilationibus, deprauationibus, ac additamentis, quæ Authores eius Liturgiæ nigros fuisse nebulones, animumque populum decipiendi habuisse facilè detegebant. Præmittit enim in initio Confessionem Generalem*

neralem, haud multum absimilem illius Charentonicæ, *quæ docet populum blasphemare Deo in faciem, ita vt vel ipsa* Oratio fiat illis in peccatum: *& quæ dicenda sit potiùs Professio peccandi, quam Confessio peccatorum: dum enim Populus se accusat dicendo*, Omnipotens & summè misericors Pater, errauimus & vagati sumus à vijs tuis sicut oues perditæ, *quid est aliud quam iactantia de suo schismate ac hæresi, perinde acsi dicerent*, deseruimus, Domine, ouile tuæ Ecclesiæ Catholicæ, ad quod redire nunquam instituimus. *In Symbolo Sancti Athanasii, quod sic incipit*, Quicunque vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque integram inuiolatãque seruauerit, &c. *in Anglica versione subdolè mutârunt hæc verba* integram inuiolatamque, *vt legatur eius loco sic: quam fidem nisi quisque* sanctam incontaminatamque *seruauerit &c. vt populus credat se salutem consequi posse, modò sanctè credat mediam ferè partem Articulorum fidei, quos vetus Ecclesia credendos proponebat, reiectis cæteris: verbi causa, ex septem Sacramentis credere tantùm duo &c. Et propterea in versiculis & respõsoriis quæ ex nostro Breuiario satis fideliter & ex ordine transtulerunt, quando ventum est ad hæc verba*, Memento congregationis tuæ, Quam possedisti ab initio, *consultò ea omiserunt: ne populus repetendo ea verba* veterem *Catholicorum* Congregationẽ, *quæ ab initio conuersionis Angliæ ad Christianismum perduranerat, in mentem reuocaret. Sed præcipua eorum fraus elucet in* Officio Defunctorum, *vbi multa decerpserunt è nostro Ca-*

tholicorum Officio, sed ea verba quæ leguntur apud nos in Missa pro defunctis, *quæ sunt propria S. Scripturæ verba, desumpta ex 14. cap. Apocalyps.* Audiui vocem de cœlo dicentem mihi, Scribe, Beati mortui &c. *recitatis omnibus aliis, truncârunt de industria in fine lectionis eam particulam, quæ sic desinit,* Opera enim illorum sequuntur illos: *eo scilicet animo, vt populus crederet* hominem sola fide saluari, *iuxta doctrinam suam, neue vlla operum siue ad iustificationem, siue ad condemnationem eius, fieret mentio. Omitto reliqua, vt ad Orationem Equitis redeam.*

Hæc sufficiant dici pro eorum gustu, quorum fama apud exteros plus satis increbescit. Nam *de diuiso contra se Ruben* multus variusque rumor foris spargitur. Sic intricamur in arduis Theologiæ dogmatibus, vt vnde nos expediamus, planè nesciatur: & propterea (cum bona venia istius viri nobilis, qui hanc à me vltima vice propositam difficultatem indignabundè reppulit) anxium hunc scrupulum prudentiæ huiusce Domus iterum proponam dirimendum. Vtrum scilicet nos *Idonei & competentes Iudices* simus in doctrinis fidei decidendis? Meâ quidem sententiâ non sumus. Iterùm repeto & affero priora mea verba, & confidenter dico: nunquam antehac in quouis sæculo, in quauis vspiam gente, visum cognitúmue fuisse, vt caterua Laicorum hominum, generosorum, militum, iuristarum vtriusque togæ, medicorum, mercatorum, mechanicorum ciuium, omnium denique professionum admissarum aut ad minus admissibilium (exclusis solis Theolo-

giæ Professoribus) de capitibus Religionis definiret ac determinaret. Nunquid Clerus noster diuersam à nobis doctrinam tuebitur? an vultis, vt nostramet in rebus fidei determinatio Clerum etiam obliget? Clerus certè huius Regni corpus est considerabile, nec eorum certè minùs ac nostrûm interest negotij huiusce agitatio: & propterea non deberent isti, tanquam indiscretus & inutilis mercimonij fasciculus, in angulo abscondi. Præterea, *Domine*, si Ministri inter nos idonei iudicentur, qui nullis præterquam merè spiritualibus negotiis immisceantur, quomodò Deo & bonæ conscientiæ rationem reddituri simus, si, quod nos prætendimus eorum esse solum ac peculiare opus, ab eo illos secluserimus.

Nota. *Magna certè est Hæreseos insania, vti ex huius Equitis ratiocinio colligere est, vnde non abs re Apostolus 2. ad Timoth. 3. hæreticos* homines corruptos mente *vocat. Quid est autem corruptio mentis, siue intellectus, nisi insania? Et ideirco Christianis omnibus* orandum est, vt sit mens sana in corpore sano. *Et Eques iste, (quod sanè miserandum est) licet sua haberet* lucida interualla (*vt Medici vocant*) *& iam cum ratione aliqua insaniret: non minus tamen insanus erat, quam reliqui Parlamentarii, quos hîc reprehendit. Ipse enim primus inuectus est in Archiepiscopum Cantuariensem: votúmque suum pariter cum aliis dedit ad Episcoporum è superiori Camera expulsionem, & postea ad Episcopale Regimen cum tota Hierarchia Ecclesiastica abolendum: qua fuit causa internecionis Archiepiscopi & om-*

nium malorum, quæ poſtea ſubſecuta ſunt. Voluit quidem paulo poſt, chimæricum quendam Epiſcopatum introducere, ſed hoc imaginarium & phantaſticum planè fuit.

Domine Orator, De inerrabili ſpiritu nequaquam gloriari poſſumus: & qui negamus infallibilitatem Summi Pontificis Cathedræ annecti, eam tuæ alligari Cathedræ multo minus credere debemus. Et ſi veritatem infucatè & cum euidentia verborum mihi loqui liceat, ingenuè vobis hîc profiteor, quod nunquam acquieſcam huiuſce Domus Senatoriæ deciſionibus Theologicis, niſi forſan vbi priuatus meus Genius mihi id ſuggeſſerit, induxeritque ad eaſdem concluſiones amplectendas.

Virtute *Breuis Regii* hîc conuenimus ad tractandum *ſuper arduis negotijs Regni & Eccleſiæ.* Obſecro te, *Domine*, ne negotia Eccleſiæ in dogmata Fidei permutemus. Ingens eſt diſcrimẽ inter *Agenda & Credenda* Chriſtianorum. Proſpiciamus igitur ne, dum Eccleſiæ noſtræ regimen firmare ſatagimus, doctrinas eius penitùs labefactemus. Summa totius rei breuiter hæc eſt. In plurimis doctrinæ Chriſtianæ capitibus venenum hauſimus: & nullum ſupereſt Antidotum, nullum *Recipe* (quod ſciam) quo huic malo medeamur, niſi vnum, hoc eſt, benè delecta & bene temperata *Synodus Nationalis*, & benedictio Dei ſuper eam. Hæc nos ſanare poſſit, abſque hac (meo quidem tenui iudicio) Anglia breui ſe verſura eſt in magnam quandam *Amſterodamum*: & niſi hoc

Concilium breuì admodum maturetur, medicinam morbus ſuperabit.

Nota. *Illa tam exoptata Nationalis miniſtrorum Synodus, quæ ſolum huius ægræ Eccleſiæ remedium æſtimabatur, Londini iuſſu Parlamenti congregata eſt Anno circiter* 1643. *ſeditque ibi ſatis diuturno tempore ad certam aliquam Religionis formam ſtabiliendam. Veruntamen, iuſto Dei ſupplicio, tanta erat opinionum diuerſitas tam inter ipſos* Synodi *quam* Parlamenti *Aſſeſſores, vt Deum pacis ſuo omnes ſpiritu deſtituiſſe cuiuis etiam luſcioſo clarum videretur. Sicque vetus illud dicterium non inconcinnè quadrabat in Londinenſis Synodi Myſtagogos, quod aliquot abhinc annis iactabatur in* Synodi Dordracenæ *ſiue* Dordrechtanæ *Patres* (*in qua numerabantur* 25. *diſcrepantes* Hæreticorum *ſecta, quæ omnes in vnum conuenerunt, & ſuffragia iunctim dederunt contra* Iacobum Arminium) *in hunc modum.*

Dordrechtæ Synodus, nodus: chorus integer,
æger:
Conuentus, ventus: ſeſſio ſtramen: Amen.

Adeò verum eſt quod Propheta olim cecinit, Niſi Dominus ædificauerit domum in vanum laborauerunt qui ædificant eam. Pſ. 120. Voluerũt quidem antiqui Babylonii Gen. 11. ciuitatẽ & turrim extruere *cuius culmen pertingeret ad cœlum*, in figuram Hæreticorum, qui dum templum ſibi exædificare ſeparatim ab Eccleſia Catholica nituntur, nihil niſi confuſionem, quę per *Babel* ſignificatur, inter ſeſe generant. Et de hac confuſione quæ inter eos omnes

reperitur, idem Propheta loquitur, *Precipita, Domne, & diuide linguas eorum; quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.* Ps. 54. Timuit Eques noster, & quidem iustis de causis, ne, absque Synodo Theologorum, quam tantopere suspirabat, Anglia verteretur in magnam quandam *Amsterodamum*, vbi omnium hæreseon farrago est, & omnes Religiones, dempta veteri & Catholica, tolerantur. Sic enim in Oratione altera, quæ habetur pag. 93. *Oratorem* alloquitur,

Da nobis, obsecro, da nobis tempestiuum aliquod pharmacum, quo huic malo inualescenti obsistamus: alioquin omnes nostri eruditi Academici *Papistæ*, *Arminiani*, aut *Sociniani* fient: omnesque illiterati, aut *Atheismum* amplectentur, aut (quod proximum est) fabricabit suam sibi quisque Religionem, prout gustui singulorum magis allubescet. Nos enim nostris disceptationibus plura indies tum inter nos tum inter alios noua dogmata generare possumus: at nullam vnquam neque nobis neque aliis vnitatem conciliabimus,

Nota. *At postquam illa Synodus congregata fuit, non restinxit hæreses, sed propagauit: dumque per aliquot annos* cæco *huic Rebellium Senatui* ducatum præstitit, *non ei lucem sed grauiores tebras offudit: nec vnitatem aut ordinem, sed* confusionem *plusquam* Babylonicam *per totam Angliam diffudit. Frustra igitur progreditur conquerendo pag.* 105. *&* 165. *in hunc modum,*

Poteram suo loco commemorare multa opinionum monstra, quæ apud populum quotidiè

naſcuntur : verbi cauſa, 1. Quod diſtinctio iſta *Clericorum & Laicorum* papalis & Antichriſtiana ſit, nec diutius tolerari debeat. 2. Quod Eccleſia debeat eſſe corpus paritatis, cuius mẽbra omnia reges ac ſacerdotes ſunt: & in his quiſque donis ſuis in communi exercere debeat. 3. Quod nulla Nationalis Eccleſia poſſit eſſe vera Eccleſia Chriſti. 4. Quod ſuprema poteſtas in rebus Eccleſiaſticis debeat reſidere in quauis particulari Congregatione. 5. Quod viſibilis Eccleſia Antichriſti conſtituit Regem Eccleſiæ caput. 6. Quòd Oratio Dominica non fuit à Chriſto inſtituta, vt à nobis vſitari debeat. 7. Quod ſit magnum facinus intereſſe precibus, quæ ex libro aliquo legantur. 8. Quod percipere Sacramentum Euchariſtiæ in præſẽtia prophani hominis, ſit de prophanitate eius communicare. 9. Quod regimen Eccleſiæ per Seniores Laicos, abſque Epiſcopo, fuit auditum in mundo, antequam *Geneuæ*. 10. Quod regnum Chriſti fuit lucerna abſcondita ſub modio per totos 1600. annos, dum Antichriſtus ei præregnauit. 11. Quod abſque permiſſu Miniſtrorum, teneri debeant in quauis domo deuotorum fidelium conuenticula, ad Spiritus ſancti dona inuicem exercenda. 12. Quod cuiuis Laico, Sacræ Scripturæ intelligentia ſufficiẽter inſtructo, liceat prædicare verbum Dei: & quòd de facto omne genus artifices, vti ſartores, ſutores, ærarii, fibulatores, pileones, acicularii &c. noſtra conſcendunt pulpita, & ad populum concionantur. Et huic ſententiæ fauet doctus ille, & magni nominis ſcriptor apud Geneuen-

ſes *Salmaſius*, qui (vti creditur) ſub nomine *Walonis Meſſalini* agēs contra *Petauium*, ſic ait: *Omnes olim Presbyteri erant Laici*: & rurſum, *Waldenſes & Lutherus crediderunt iuſtos ac fideles Laicos poſſe omnes, quæ in Eccleſia Dei agi neceſſe eſt, agere: & omnibus muneribus Eccleſiaſticis defungi.* Plures, multo, inquam, plures his de rebus inſtantias vobis (paruū per otiū) colligere, & enumerare mihi eſſet integrum: quæ ſimul procreârunt inter nos generale incrementum aperti Libertiniſmi, clandeſtini Atheiſmi, audacis Arminianiſmi, deſperati Socinianiſmi, ſtupidi Anabaptiſmi, & cum his noui etiam Chiliaſtæ multiplicantur: quin & per has diſtractiones noſtras obſtinatio Romano-Catholicorum mirificè validéque confirmatur. Deus bone! deſpice de cœlo, &c.

Nota. Ruſticus expectat dum defluat amnis, *& 6. inquit Horatius: & ſic Eques h c noſter inani prorſus hiatu medicinam huius morbi à cathedra peſtilentiæ, pacem à ſpiritu diuiſionis, horum denique tumultuum ſedationem a multiformium & diſcrepantium Hæreticorum Synodo præſtolabatur. Quippe monſtroſæ illæ opiniones, quas recenſet, quæque ſic reapſe æſtimandæ ſunt (ſi Regium Eccleſiæ Suprematum excipias) Miniſtris iam in vnum conuocatis, authoritatem quandam accepiſſe videbantur: qui omnes Caluiniſmum profitentes, Magiſtri ſui verba eierare, aut Scripturæ Sacræ lectionem populo (quem vocant) Dei interdicere non audebant: quinimo teneris huiuſmodi conſcientys fauebant, & vnumquemque in ſuo ſenſu abundare patiebantur. Nam huiuſce-*

modi doctrinas ex principijs Patriarchæ ſui neceſſariò fluere animaduertebant. Præterea propriis ipſius Synodi diſſenſionibus prodigioſæ iſtæ opiniones augebantur, & nouorum dogmatum quotidie creſcebat ſuperfœtatio. Deinde ſub finem alterius Orationis quæ habetur in eodem libro pag. 152. hunc in modum lamentatur.

Domine Orator, Hæc quam nobis exhibuiſti hodie Schedula, generalibus huius Cameræ ſuffragijs ratificanda, mihi videtur tanquam Eremus quædam vaſtæ ſolitudinis: in qua includimur huc illuc palantes, & periculo expoſiti, ne nos & Eccleſiam noſtram in æternum perdamus. Comminiſcor iam veniſſe nos ad marginem fatalis cuiuſdam Præcipitij, vbi ſtamus alter alterum prouocantes, quis inde primus audeat deorſum ſe proijcere: & tamen, quod horrorem mihi incutit, ac ſtuporem non mediocrem; audio quoſdam mihi fiducialiter dicentes, quod in plano tuti ambulamus: quod Eccleſia noſtra ſemper eadem manet: & quod eius regimen non eſt immutatum. Certè, Domine, aut mihi caput eſt vertiginoſum, aut perſpicio Eccleſiam noſtram circumrotari: ſeu potius penitùs inuerti. Et iam campanam quandam auribus meis lugubri tono funus Eccleſiæ noſtræ tinnientẽ ſentio; quæ iã vltimã efflatura animam hanc terribilem ſimul vocem emiſit, Ἐμοῦ θανοντος γαῖα μιχθήτω πυρί. Me mortua cœlum terræ miſceatur.

Nota modeſtiam huius Equitis, Eccleſiam ſuam fato functam eſſe agnoſcentis, contrà duxum os quorumdam Miniſtrorum Angliæ, Bram-

uelli, Tayleri, Hammondii &c. *qui Ecclesiæ suæ superstites, eam tamen adhuc in viuis esse, velut ipsissimæ* Arcadiæ pecuaria, *inani vociferatione rudere non desinunt.*

Adijciam tantùm, pro multis alijs, duo loca ex Orationibus huius Equitis petita: quibus veteris Ecclesiæ stabilitatẽ contra omnes Nouatores ingenuè fatetur. I. habetur pag. 129. Quidam, inquit, contra regimen Ecclesiæ per Episcopos, allegant recens exemplum Ecclesiarum nobis vicinarum [intell. *Geneuensem, Figurinam, Charentonicam, Leydensem* &c.] Quæso à te, Domine, annon magis æquum sit nos his præbere, quam ab his exemplum accersere? Me quidem dispudet audire hesternum istud exemplum argumenti loco nobis à quibusdam obtrusum: & omniscium Dei, omnibus retro sæculis, Prouidentiam in Ecclesiæ suæ gubernatione in contrarium, ab eisdem hominibus tanquam indignam aliqua responsione elusam. Vel si responsionem aliquã ab eis impetres, hæc erit frigida, ineptáque: qua tamen (velut in *Mari Mortuo*) se omnem replicam submersisse arbitrantur. Eia, inquiunt, antiquitas Episcoporum nobis semper occinitur: *at mysterium iniquitatis* cœpit operari ipsis Apostolorum temporibus: Ergo quid? Ergo, inquiunt, Episcopatus iste erat proculdubio hoc *iniquitatis mysterium.* Et sic perditè concludunt Christum Ecclesiæ suæ nunquam bonum aliquod regimen prouidisse, donec *Farellus, Frumentiúsque* Episcopum suum Geneua expulissent. II. ibidem p. 137. & 138, sic concludit.

Quantum ad me (inquit) liberè & ex animo coră vobis omnibus profiteor, me ex eorũ numero non esse, qui à mille & sexcentis annis, ex quo Saluator noster ad Ecclesiam suam plantandam venit, nouam regulam, nouum, & ante nostrum sæculum, inauditum regimẽ huic Ecclesiæ præscribere audebunt. Mihi quidem nefas credere (& quis credat illud salua pietate?) quod Dei Filius, *Sapientia Patris*, descẽdit de cœlo vt Ecclesiam plantaret, vt erigeret Regnum, & quod Regnum hoc erexit, hanc plantauit Ecclesiam, multis abhinc annorum Centuriis, & quidem sui sanguinis inæstimabili pretio: & tamẽ huic, aut nũquam adhuc voluit, aut nunquam potuit bono moderamine benedicere, donec nos ad eam dirigendã nati fuerimus. Cauete vobis à talibus Assertionibus, quæ huiusmodi illationibus & consequentiis necessariæ impietatis locum faciunt, & semitam ad Atheismum introducunt. Crede hoc, Domine, Crede hoc, quod bonitas & sapientia Dei non possit esse sibi conscia (cum zelo & reuerentia loquor) talis improuidentiæ, vt qui à tanto olim tempore regnum erexerit, nunc tantùm ei regulam & moderamen daret. In hac te mecum, Domine obsecro, coniunge fide, quod Saluator mundi, *cuius super humerum factus est principatus* (Esai. 9.) non immediatè, & per tot postea sæcula deseruerit Ecclesiam suam, eamque Antichristianismo exposuerit: cui se prius promisit ad futurum *omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.*

Nota *apertissimam veritatis Confessionem* (*quo nihil euidentius desiderari potest*) *qua omnis tam*

Lutheranæ *quam* Caluinisticæ Reformationis *iugulum petit, & ipsum apostasiæ fundamentum penitùs conuellit subuertitque. Fundamentum enim hæreticorum, (vt supra tetigimus) qui ab Ecclesia Dei apostatârunt, vt ædificarent suum* Babel, *hoc est: quòd Christus deseruerat Ecclesiam suam, eamque Antichristo regendam* dereliquerat (*quod & acerrimè contendit* Derelinquurtius) *per aliquod tempus: alijs per 2. vel 3. sæcula, vt Donatistæ: alijs per mille annos, vt Lutherani: alijs per mille ducentos, vt Caluinistæ: alijs denique huius temporis Reformatoribus in Anglia, quos Eques noster citat, per totas sedecim à Christo passo centurias: At S. Augustinus, vt præscindat ansam omnibus hæreticis, exponens contra Donatistas sui temporis, illa Euangelistæ verba à* Deringo *assignata Mat.* 28. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi, *signanter* (*inquit*) *dicit* omnibus diebus, πᾶσας τὰς ἡμέρας (*tantum abest, vt per aliquod sæculum*) *vt ne vel per vnum diem Ecclesiæ suæ defuisse intelligatur.*

Quod autem Eques superiùs dicit de suo sæculo in quo viuit, nimirum *se non posse credere, quod Dei Filius qui plãtauerat Ecclesiam suo sanguine multis ab hinc sæculis, eam deseruerit, nullamque de ea gubernanda solicitudinem habuerit, donec nos ad eam dirigendam nati fuerimus*, pari iure intelligi potest de Lutheri & Caluini sæculo, ac si dixisset, *donec Lutherus & Caluinus ad eam dirigendam nati fuerint*: Nam & hoc priori Oratione videbatur satis liquidò innuere, vbi dicit, *donec Farellus & Frumentius Episcopum suum Genevæ expulissent.* Subticuit enim nomen *Caluini*

(qui erat primarius istius seditionis ciniflo) propter reuerentiam, quam doctrinæ eius in alijs deferebat. Obseruatu autem dignum est hoc loco, quod vel ipsum nomen Ministri κατ' ἐξοχὴν quod hæreticorum vltimi sæculi seductores sibi ipsis attribuerunt, quod Officium quoddam Distinctiuum denotat inter illos & Nouæ legis Sacerdotes, habet nescio quid infortunii, seu mali ominis. Si quis enim vocabulum illud (*Minister*) paulo diligentiùs expendat, commẽtitiæ vanitatis notã hisce Pseudo-Euangelistis veluti diuinitùs inustam offendet. *Minister* enim transpositis tantùm literis anagrammatico more, idem sonat ac *Mentiris*: nec plus minúsue reperitur. Et non caret mysterio, quod legitur in Euangelio Ioan. 18. ex versione S. *Hieronymi*, *Tunc assistens vnus ministrorum dedit alapam Iesu*, quandoquidem vt ait Apostolus de Iudæorum populo, *Omnia contingebant illis in figura*, 2. Cor. 10. hoc est, præsignabant aliquid, quod sub noua lege adimpleri debuit. Quid est enim illa *alapa Ministralis*, nisi contradictio diuinæ veritati, ipso *Noui Testamenti Mediatoris* ore prolatæ: nam & ipse statim respõdit Ministro, *si bene locutus sum, quid me percutis?* Doctrina enim *Ministrorum* fundata est super mendacio, nec super quouis mendacio, sed super mẽdacio dato Filio Dei, & hoc per alapã figurabatur quam Minister ille Pontificis Iudæorum (quorũ in multis sequaces sunt Ministri Caluinistæ) sacratissimo Christi loquẽtis ori impegit. Et ne hoc gratis dicam, quod Ministri sunt sequaces Iudæorum, Minister ille Charentoni-

cus, *Derelinquuntur in* (de quo suprà) qui quotidie contra Catholicos scriptitat, licèt à *Bellicensi* piæ memoriæ *Episcopo* abundè refutatus & vanitatis conuictus, reliquorum loco Ministrorum mihi in præsenti sufficiet. Ille enim (præter incredulorum Iudæorum doctrinam, cui in multis aliis impensè fauet, & quotidiè in concionibus suis, contra realem Christi præsentiam in Eucharistia, clamat cum *Capharnaitis* Io. 6. *Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad mãducandum?*) in Cõpendio suo Controuersiarum, cap. 62. vt doctrinam Christi de potestate Clauium in Sacramento Pœnitentiæ Sacerdotibus Nouæ legis tradita impugnet, truncando Textum, verba Iudæorum contra Christum blasphemantiũ (ahenæ vt est frontis) pro Christi verbis inducit hoc modo: *Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Verba a. textus sic se habent. *Erant quidam de* Scribis *cogitantes in cordibus suis*, scilicet de Christo; *Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus?* Cui obiectioni Christus respondet. *Vt sciatis quia Filius hominis* (hoc est, inquantum homo, & Sacerdos nouæ legis secundum Ordinem Melchisedech) *habet potestatem in terra dimittendi peccata: ait Paralytico* &c. Et de hac nigra fraude sæpiùs admonitus, nihilo tamen minùs librum suum (affectatâ, vt arbitror, malitiâ) iteratis typis populo distrahendum curat. Sed hoc proculdubio didicit ab egregio Sacræ Scripturæ expositore, nempe à Diabolo, qui Mat. 4. ait ad Christum, *Si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim*

Quia angelis ſuis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Ecce bonus Textuarius! Ecce verus *Miniſter Charentonicus*! Vbi notandum, quòd Diabolus non ex defectu memoriæ, ſed datâ operâ truncauit illa Pſalmiſtæ verba, *vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*, quæ ſunt in corpore verſiculi allegati. Quia ſciebat Angelos non accepiſſe mandatum de hominibus cuſtodiendis niſi in viis eorum, quibus præceptum eſt à Deo vt in eis ambularent: (Diuinam quippe naturam ſuam Chriſtus Diabolum latere voluit) Viæ autem hominum non ſunt, *ſe deorſum mittere*, aut per aerem ab alto ſe præcipitare. Dixi ſuperiùs quod doctrina *Miniſtrorum* ædificata & fundata eſt ſuper mẽdacio &c. Quemadmodum enim in exordio mundi, poſtquam Deus dixerat Adamo, *in quocunque die comederis de ligno ſcientiæ boni & mali, morte morieris*: dixit Serpens ad mulierem, *cur præcepit vobis Deus vt non comederetis ex omni ligno Paradiſi? Nequaquam moriemini &c.* Gen. 3. Ecce mendacium affictum à Diabolo ipſi Deo. Vnde Seruator noſter Ioan. 8. dicit quod Diabolus fuit *mendax ab initio & pater eius* (ſupple qui mentitur). Ita in initio naſcentis Eccleſiæ idem ſpiritus mendax, in ore Hęreticorum, mendacium Dei Filio improperauit: dum eum contra promiſſum ſuum Eccleſię ſuę defuiſſe blaſphemè criminantur. Legimus in Euangelio, quod poſtquam Chriſtus diſcipulos interogâſſet, *Quem dicunt homines eſſe Filium hominis?* & cum illi ſubiunxiſſent, *Alij Ioannem Baptiſtam &c. Vos autem,*

rettulit, *quem me esse dicitis? Respondens* (pro toto Apostolorum & Discipulorum collegio) *Simon Petrus dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi.* Cui Iesus, *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Et tibi dabo claves regni cœlorum*, &c. Mat. 16. Ecce fundamentum Catholicorum quod inconcussum manet. At *Minister* quilibet hæreticus volens alapam dare filio Dei, & fundamentum quod ille posuit, subuertere: negat auctoritatem D. Petri: negat Christianam Ecclesiam supra eum fūdatam: dicit portas Inferi prævaluisse aduersus hanc Ecclesiam: dicit eam per aliquot sæcula penitùs esse desiisse (hoc enim intelligunt Caluinistę in sua Confessione Fidei, Art. 31. dum asserunt *Ecclesiæ statum* ante aduentum Caluini *fuisse interruptum*) Nonne hoc est mendacium filio Dei imponere? Ecce fundamentum Ministrorum super mendacio, vt dixi, stabilitum. Et propterea rectè dixit Eques Anglus, *Cauete ab huiusmodi Assertionibus, quæ ad Atheismum & Iudaismum portam patefaciunt.* Posito enim hoc fundamento, Christus esset falsus Propheta, & per consequens, non esset Dei filius: quia *impossibile est Deum mentiri.* Hebr. 6.

Vides, ni fallor, plus satis, Lector Candide, quo tendat Quinti ac Sexti Euangelii promulgatio, h. e. Christianæ Religionis per *Lutherum* & *Caluinum* facta Reformatio, nimirùm ad euertendum, quantum fieri potest, Christia-

Chriſtianiſmum, ad Eccleſiæ pacem profligandam, & ad infinita diſſidia in animis hominum in dies procreanda. Surrexerunt quidam falſi teſtes contra Chriſtum, dicit Euangeliſta, *Et non conueniens erat teſtimonium illorum.* Mar. 14. Surrexerunt *Lutherus* & *Caluinus* (vt nihil iam de Zuinglio loquar) poſtea *Anabaptiſtæ*, hinc *Arminiani*, deinceps *Sociniani*: ac nouiſſimè *Independentes*: omnes quidem contra Chriſtum: *at non conueniens erat teſtimonium illorum*: *Caluinus* enim contradicit *Luthero*, *Lutherus* itidem contradicit imo maledicit *Caluino*, *Anabaptiſtæ* dant teſtimonium contra ambos: *Arminiani* contra tres priores: *Sociniani* contra iſtos quatuor: ac denique *Independentes* contra vniuerſos. Dies me deficeret enumerantem ſingulas ſectarum diuiſiones, ac earum ſubdiuiſiones, quæ per orbem, & præcipuè in Anglia à paucis annis vermiculantes prodierunt. Synodus Nationalis *Carentoni* congregata Anno 1631, vt inter *Lutherum* & *Caluinum*, eas linguarum contradictiones ſi non conciliaret, ſaltem aliquo modo conſopiret; introducit Lutherum (licèt obtorto tractum collo) vnà cum Caluino in Templum ſuum, vt amicè ſimul manducantes & bibentes ibi teſtimonium ſuum ſanctiùs deponerent. Audiamus ergo teſtes illos ſi veritatem dicunt. Quid deponis, *Luthere*? Iuro Corpus Chriſti eſſe ſub pane. Quid deponis *Caluine*? Iuro corpus Chriſti non eſſe ſub pane. Explica te, *Luthere*. Dico corpus Chriſti eſſe impanatum, hoc eſt, pani conſubſtantiatum. Et tu *Caluine*. Aſſero nihil

niſi purum putum panem, hoc eſt corpus Chriſti non eſſe incluſum pane, nec calice ſanguinem. Ecce duo teſtes contradictoriè deponentes *Eſt & non eſt, corpus & non corpus*! numquid inter ſe conueniunt? citiùs lux & tenebræ, Deus & diabolus. *Inſurrexerunt in me teſtes iniqui: & mentita eſt iniquitas ſibi*, Pſal. 26. Si enim verum dixit Lutherus, mentitus eſt Caluinus: aut ſi verum dixit Caluinus, mentitus eſt Lutherus: quia oportet vna pars Contradictionis ſit mendacium. Duo enim contradictoria ſimul eſſe vera ne Deus quidem facere poteſt: & poteſt Synodus Carentonica? O Miram totius Synodi dementiam! O talpa cæciores cæcorum Duces! Verè de vobis & veſtri ſimilibus apoſtolico ſpiritu prophetauit Paulus 2. Tim. 3. *Amentia eorum* (Græcè ἄνοια) *manifeſta erit omnibus*. Nunquam enim à Chriſto nato in Synodo aliqua Nationali (præterquam in Synodo Nationali Iudæorum Mat. 27.) talis amentia toti mundo patefacta eſt. Num ſic contradicentem & toto cœlo repugnantem tibi ſectam in templum tuum introducis *Carentonia*, vt veterem Chriſti Eccleſiam quouis pacto vilipendas? *Quæ ſocietas lucis ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut quæ pars fideli cum infideli?* Dixit D. Paulus 2. Cor. 6. Hîc autem in Templo tuo (vt videtur tibi) lux & tenebræ benè ſociantur, Chriſto conuenit cum Belial, & fidelis cum infideli peramica eſt communicatio: ſi enim Caluiniſta fidelis eſt, oportet Lutheranus ſit infidelis aut hæreticus, & econtra: & tu tamen diſcrepantem tibi (tuo iudicio) infide-

lem & contra doctrinam tuam blaſphemantem, nõ abiurata infidelitate ſſue hæreſi, ad Cœnam tuam, ad Communionem tuam admittis? Hoccine eſt diſcipulum eſſe Chriſti, qui *vnum Deum, vnam fidem, vnum baptiſma* docuit? qui *Columbam ſuam vnicam eſſe* voluit? qui *Deum* dixit non eſſe contradictionis ſed veritatis: *non eſſe Deum diſſenſionis ſed pacis.* 1. Corinth. 14. Hîc autem in Synagoga tua, inter communionis tuæ participes, maxima diſſenſio & contradictio in præcipuo fidei dogmate reperitur: ac proinde te non eſſe Dei Templum, at *Synagogam Sathanæ* non iniuriâ dixerim. Huic tam manifeſtæ luci nebulam inducere (quod nebulones ſolent) & facti irrationabilis rationem aliquam reddere voluit Apologiſta quidam, *Ioannes Dailleus* nomine, ſed tanquam lacinioſus ſcriptor, & læſi cerebri homuncio, riſu omnium meritò exceptus eſt. At quo ritu non ſolùm ſui ouilis pecudes, ſed & peregrinos greges ad Cœnam ſuam recipit *Carentonia*, audiamus. Hîc (vti legitur in formulâ ante Cœnam) poſtquam *Miniſter* toti cœtui hæc altâ voce verba intonuit, *In nomine & authoritate Domini Noſtri Ieſu Chriſti, excommunico omnes idololatras, blaſphematores, contemptores Dei, hereticos, & omnes eos, qui faciunt ſectam ſeorſim ad rumpendam Eccleſiæ vnitatem*, &c. (Quæ quidem verba ex Caluini præſcripto recitârunt ante Cœnam ex quo primum tempore ſeorſum ab Eccl. Rom. abierunt.) His dictis, omnes ibi præſentes tam Lutherani, quam multiformes Angliæ Proteſtantes, & aliarum gentium ſectarij, *dila-*

tatis charitatis Caluiniſticæ *viſceribus* ad Cœnam illam admittuntur. At per verba Excommunicationis recèns memorata (*Blaſphematores, Idololatras & Hæreticos*) Lutherani & omnes alii, qui fidei Carentonicæ diſſenſionibus blaſphemant, proculdubiò intelliguntur (Lutherus enim dicit in defenſ. verb. Cœnæ, *Accuſant nos falsò eſſe idololatras*) & per eos omnes, *qui faciunt ſectam ſeorsìm ad rumpendam Eccleſiæ vnitatem*, non ſolùm Lutheranos & Hæreticos alios (qui faciunt ſectam ſeorsìm à Caluiniſtis) ſed ſeipſos etiam in quantum faciunt ſectas ſeparatìm à Catholicis, intelligi & Miniſtrali illo Anathemate percuti neceſſe eſt. Synagoga igitur Carentonica, tanquam pia quædam mater (ſi Deo placet) tàm domeſticos quàm extraneos diuerſæ credulitatis ſiue incredulitatis diſcipulos, probè priùs debitéque excommunicatos, ad communionem ſuam (quam Cœnam vocant) intromittit. Omnibus enim notorium eſt *Lutherum* & *Caluinum* à Catholica communione, in qua nati educatíque fuerant, ſeceſſiſſe: & Congregationes hominum (quas Eccleſias vocant) pro ſuo quemque genio ſeorſim iuſtituiſſe. An verò *vnitas Eccleſiæ*, de qua loquuntur, per eorum ſchiſma rupta ſeu cõſeruata fuerit, vel ex vnica Britanniæ inſula explorari poteſt, vbi non pauca Hæreſiarchæ vtriuſque genimina fœcunda nimiùm propagatione ſuccreuiſſe comperimus. Quin & hoc in confeſſo eſt apud *Ioannem Dailleum* ſupradictum, qui Apologiam non ſolum pro Decreto illo *Carentonico* de ad-

mittendis ad Communionem ſuam, citra vllam eierationem dogmatum, Lutheranis: ſed etiam pro Apoſtaſia (quam *Separationem* nuncupat) Eccleſiarum Reformatarum à Catholica Romana, Gallico idiomate ſcriptã publicauit. Cuius Comminiſtri ſui (vti ſimiles habent labra lactucas) ſermone Latio patrocinium in vtraque prouincia pugilicè admodum ſuſcepit *Moſes* quidam *Amurath*, Miniſter Salmurienſis, homo ſaltem nomine (neſcio an & progenie) Iudæo-Turca. Is tanquam *Miles* quiſpiam *Glorioſus*, & paludatus Eccleſiæ Caluinianæ Hyperaſpiſta, magnificè inſcripto ad *Guilielmum Haſſiæ Landgrauium* libro, *De Seceſſione ab Eccleſia Romana*, tanquam de Sparta, quam nactus fuerat, bellè à ſe ornanda, ſtatim in ipſo Titulo ampullatur. Mox in exordio, prædicto Principi fucum faciens, Decreti Synodalis verba mala fide mutilando, adiiciendoque recitat, vt eiuſdem fœditatem ipſum eo modo celet: & poſt pauca ſic progreditur. *Romana Eccleſia Prædicatores noſtram eam Chriſtianam facilitatem* (ſcil. de admittendis ad communionem Lutheranis) *ita interpretati ſunt, quaſi argueret in nobis animum iniuſto & peruicaci odio in Eccleſiam Romanam incenſum, vt qui ab ea ſeceſſionem fecimus, & in ea pertinaciter perſeueramus, cum non detrectemus Lutheranorum communionem, à quibus haud minus tamen iuſtas rationes ſecedendi habemus. Quid enim nos ab Eccleſia Romana ſeparauit, niſi doctrina de præſentia reali corporis Chriſti in Euchariſtia? Quid autem inter doctrinam Lutheranorum & Pontifi-*

cierum in eo argumento magnopere interest, ob quod cum illis pacem instituere, cum his bellum inexpiabile gerere in animum inducamus? At si huiusmodi Apologistæ benè animaduertissent, quod B. Ioannes Apost. hanc *ab Ecclesia secessionem*, de qua tam splendidè gloriantur, esse infallibilem Antichristi notam pronunciet, vanæ suæ gloriolæ fumos aliquantulum haud dubiè repressisset. Sic enim scribit in 1. sua Ep. Cathol. cap. 2. *Filioli nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus venit: nunc Antichristi multi facti sunt. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Ecce quomodo prodire seu exire ab Ecclesia ex sententia D. Ioannis, antichristianismus censendus sit, & propterea Ministri Caluinistæ illud profiteri minimè debuerunt: præsertim cum propter hoc peccatum, semetipsos inuicem per totam Galliam semel in mense excõmunicant, vti dictũ fuit, antequam ad Sympoſium illud Caluinisticum ab eis procedatur. Secedere enim ab Ecclesia nihil aliud est, quam *seorsim sectas facere ad rumpendam Ecclesiæ vnitatem*, quod Lutherus & Caluinus in initio fecerunt, & quod sequaces eorum facere adhuc perseuerant: iuxta proprium characterem, quo Hæreticos designauit S. Iudas in sua etiá ep. Cath: *Hi sunt qui segregãt semetipsos.*

Vt autem nihil dicam ad alias frigidas ineptasq; argumentorum quisquilias, quas vterque Apologistarum in defensionem Synodi Carentonicæ de Vnione Lutheranorum in medium adducit, illud saltem silentio prætetire non possum, de quo etiam stupore non mediocri me

percelli fateor, quod homines qui ſcientiam profitentur, tantam cæcitatem animi vel deliquium rationis publicè prodant, vt (poſtquam doctrinam de præſentia reali corporis Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ præcisè conſideratam vel ſolam vel præcipuam ſeparandi anſam à Catholicis præbuiſſe dixerint: immo dogma illud Lutheranum de eadem præſentia, cum quibuſdam aliis, tale eſſe vt *ab ipſo mentes eorum abhorreant*) ipſammet tamen doctrinam ſibi inconſtantes aſſerant *leuem eſſe, & minimi momenti: nihil in ſe veneni habere: à veneni natura abeſſe*: nec vllatenus impedimento eis eſſe, quo minùs Lutheranorum communionem ambabus vlnis amplectantur. Imò hoc factum, de Lutheranorum ad Cœnam Caluiniſticam Admiſſione, adeò dilaudant, vt *perſe dignum eſſe, ob incredibilem charitatem quam ſpirat, & aſſidua recordatione, & celebratione ſempiterna*, dicere non vereantur. Sic enim *Amyrath* expreſſis verbis in Præfat. lib. & *Dailleus* paſſim in Apol. Nemo certè vnquam inſaniuit, ſi Miniſtri iſti non inſaniant, quando aſſerunt, *ſe eorum communionem in rebus fidei amplecti, a quorum tamen fide ſe fatentur animo abhorrere.*

Benè autem ſe res habet, quod iſte *Amyrath* ingenuè agnoſcat *vix reperiri duos* Euangelicæ Eccleſiæ *Theologos* (ſic enim Reformatos vocat) *inter quos de omnibus Religionis apicibus accuratè conueniat.* Et reuera ſe non ſolùm à Magiſtro ſuo Caluino, ſed à Publica Carentonicæ Fidei Declaratione (cuius defenſionem ſuſceperat) cum multis aliis, diſſentire ſatis liqui-

dò innuit his verbis: *Nonnulli Euangelici in animum inducere non possunt, vt credant quod à Caluino traditum est, angores illos quibus (Christus & paulò ante mortem & in ipsa morte* (puta in triduo mortis) *conflictatus est, habuisse rationẽ pœnæ propter peccata inflictæ &c. Deinde valde illis durum* (hoc est, ni fallor, hæreticum) *videtur, & à Christi dignitate alienum, eum Dei iustitiam horruisse, & easdem animæ pœnas esse perpessum, quas damnati persentiscunt. Idem enim pariter putant esse à Caluino affirmatum.* Quod obiter Reuerendo admodum Fratri suo, & erroris Comministro *Car. Drêlinquurtio* in doctrina eius suprâ recitata palam contradicit, quin & apertè pugnat Publico totius Synagogæ Caluinisticæ Catechismo in Dom. X. Deinde doctrinam de desperatione Christi in Cruce exagitans sic ait. *Ad desperationem quod attinet, video quidem Caluini inimicos quosdam eapropter illi grauissimè succensere, quod Christo desperationem tribuisse vulgò putatur.* Et hoc quidem illum feciſſe certissimum est tum ex Harmonia eius Euangelica ad cap. 17. Mat. tum ex libro 2. Instit. cap. 16. Vet. Edit. licèt Minister quantum potest, hoc à Caluino crimen deprecari satagat: sed postea subiungit, *Reformati* (in quorum numero seipsum certè comprehendit) *id si à Caluino dictum est, repudiant & toto pectore auersantur.* Ecce qualis vnitas inter Reformatæ Religionis Professores, quando doctrinam Patriarchæ sui *Caluini*, à quo denominantur, *toto pectore auersantur.* Et quidem spes affulget Synodi cuiusdam Nationalis Ca-

ſentoniæ propediem conuocandæ, tum ad nouam fidei Confeſſionem procudendam, tum ad Caluini libros flammis addicendos: quandoquidem multa ex veteribus dogmatibus eius apud eos exoleuerunt, quæ & recentioribus impreſſionibus Typographicis, è Tabulis ſuis Homologeticis eradenda curauerunt, & in eorum locum ſurrogatis aliis, quotidiè eradunt. Et propterea Apologiſta noſter optimam, ſe iudice, adhibuit regulam *de pace inter Euangelicos conſtituenda*, quam ſe docere profitetur, nimirum vt de leuiculis Religionis diſſidiis, (ſic enim vocat) quæ inter ipſos & Lutheranos intercedunt, in vtramuis partem iudicandi, hoc eſt credendi vel non credendi, *ſuum cuique permittatur liberum arbitrium.* Quod autem idem *Amyrath* Catholicis exprobrat, quòd *Scripturam adeo obſcuram, ambiguam, & flexiloquam eſſe doceant, quod vel omninò nequeat intelligi, vel non minus ac ferè magis faueat hæreticis opinionibus, quam orthodoxis; & hoc*, ait, *eſt in Dei ſpiritum magnopere contumelioſum*: mera eſt calumnia, quandoquidem Eccleſia Cathol. nihil ex ea parte aliud credendum proponit, niſi quod Apoſtolorum Princeps diſertè dicit, loquens de *Epiſtolis chariſſimi ſui Fr. Pauli, in quibus ſunt* (inquit) *quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depranant* (Geneuenſes legunt *torquent*) *ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem*, 2. Pet. 3. Vt autem grauiſſimis illis iurgiis, quæ inter *Lutherum & Caluinum* eſſe dignoſcuntur, pallium prætendat, & vnionem aliqualem inter eos eſſe probet, hunc in modum rhetoricatur. *Omnes Euangeli-*

ci eaſdem planè doctrinas in Eccleſia Romana reiecerunt. Quod falſiſſimum eſſe patet, ſiquis Confeſſionem Auguſtanam cum Confeſſione Geneuenſi inter ſeſe conferat. Ibi enim maximam repugnantiam & ἀσυμφωνίαν facilè deprehendet. Deinde vt Lutheranis, quoad antiquitatem Reformationis, gloriam præripiat, ac eorum auctoritatem præ Zuinglianis ſeu Caluiniſtis eo pacto eleuare videatur, affirmat *Zuinglium* (cuius etiam doctrinam *Caluinus* floccifecit) *viam ad Reformationem in Heluetia affectâſſe, anno integro antequam Lutherus in Germania appareret.* Et quia non potuit à vanitate abſtinere, poſito vno fundamento Miniſtrali, quaſdam alias commentitias ſubinfert conſequentias. Ponit enim pro baſi eorum quæ dicturus eſt in toto illo capite, *De grauioribus controuerſiis cum Eccleſia Romana,* quod *nihil ſit à Luthero in Romani Pontificis communione damnatum quod Caluinus pariter non damnauerit: nihilque eſſe à Caluino in eadem Religione reiectum, quod non ſit pariter à Luthero repudiatum. Quod* (inquit) *ſanè diligenter animaduertendum eſt. Conſenſus enim ille ſatis manifeſtè arguit &c.* De cuius rei falſitate vel *Ioannem Ambraum*, Regis Sueciæ Pariſiijs Miniſtrum: vel quemuis alium Miniſtrum Lutheranum lubens atteſtor. Primò enim certum eſt Lutherum damnâſſe multos S. Scripturæ libros in Romani Pontificis communione ſemper approbatos, qui numquam fuerunt à Caluino repudiati, v. c. Librum Iob, Eccleſiaſten, Ep. ad Hebræos, Ep. Iacobi, II. D. Petri, II. & III. D. Ioannis, Ep. Iudæ, & Apoca-

lypſim: ſicut teſtantur Centuriat. Magd. Cent. 1. l. 2. quod contrarium eſt Confeſſionis Carentonicæ, quam Caluinus compoſuit, Art. 3.

2. Lutherus damnauit nuptias Romano & Catholico more inſtitutas, docens licere nubere intra gradus prohibitos, ſic enim ait in ſerm. de Matrim. *Aliquis poteſt ducere in vxorem patruelem aut conſobrinam ſuam, imò neptim ſiue ex fratre ſiue ex ſorore*: & addit, quod *frater poteſt Matrimonium etiam contrahere cum ſorore ſua ſiue ex patre ſiue ex matre, modò non ſit ex patre & matre ſimul*, licet hoc vltimum vacillanter aſſerat: Formam autem à Catholicis hac ex parte receptam nunquam damnauit Caluinus.

3. Lutherus damnauit Monogamiam & inuexit Polygamiam, vt patet ex Comment. eius in c. 16. Geneſ. vbi docet quod *homo poteſt ſub lege gratiæ inire nuptias cum multis vxoribus*. Hoc autem nunquam docuit Caluinus. Omitto cætera.

Econtra Caluinus reiecit Regimen Epiſcopale, & parilitatem inter Paſtores Eccleſiæ introduxit, vti clarum eſt ex Confeſſ. fid Carenton. Art 30. Hoc autem nunquam reiecit Lutherus.

2. Caluinus reiecit corporalem Chriſti præſentiam in Sacramento altaris, quam ſemper retinuit Lutherus, vt in confeſſo eſt: & notandum, quod Lutherus doctrinam illam Caluiniſticam, *venenum* vocat. Hæc ſunt enim Lutheri verba in Theſ. contra Artic. Louan. *Ponimus in numero Hæreticorum, &*

inimicorum Ecclesiæ eos, qui negant Corpus Iesu Christi ore percipi in venerabili Eucharistia. Et alibi in lib. pro deffens. verb. Cœnæ cont. Sacramentar. *Diabolus nobis bellum gerit blasphemando contra Cœnam I. Christi per homines phreneticos, qui somniant quod in illa solummodo detur panis & vinum tanquam signa* &c. Et paulo post, *Atteſtor Deum & homines, quod volo manus meas mundas esse à Sanguine eorum quorũ animas isti Sacramentarii* (*Caluinistæ*) per doctrinam suam *separant à Iesu Christo & veneno suo interficiunt.*

3. Reiecit Caluinus doctrinam de Baptismi necessitate ad salutem, & ad tollendum peccatum originale, vti patet ex lib. Instit. & ex art. 11. Conf. Gen. Hanc a. doct. nunquam reiecit Luth. imò contrariũ docuit, vti patet ex Art. 2. & 9. Conf. Augustanæ & ex art. 1. Tractatus de Præcipuis Articulis.

4. Caluinus reiecit Sacramentum Confessionis siue Pœnitentiæ, dicens eam *ex officina Satanæ profluxisse* art. 24. quam tamen retinet Lutherus cum suis vti videre est ex cad. Conf. Aug. tit. Confessionis.

5. Caluinus reiecit Purgatorium, & doctrinam eius fabricatori Satanæ attribuit eod. art. 24. quam tamen absolutè nunquam reiecit Lutherus: vti probat ex Luthero Castr. v. Purgat. Pr. 5. c. 2. Imò idem Caluinus sibi contrarius fatetur fidem hanc orandi pro defunctis & à Patribus fuisse vsitatam, & in Ecclesia Dei fuisse receptam mille & trecentos annos ante exortũ suũ, vti videre est ex l. 3. c. 5. §. 10.

6. Caluinus reiecit Missam & ipsum nomen

Miſſæ odio habuit, quam tamen Lutherus ſuo more ſemper celebrauit: vti conſtat ex Conf. Aug. tit. de Miſſa, vbi dicunt ſe *Miſſam retinere & ſummа reuerentia celebrare.*

7. Caluinus reiecit diſcrimen Peccatorum Mortalium & Venialium, quod Lutherus cum ſuis retinet ib. art. 6. imò Lutherani dicunt *Nullum dogma in Chriſtianiſmum induci potuiſſe hoc Caluini dogmate pernicioſius.* Grot. Animadu. c. Riuet.

8. Reiecit meritum bonorum operum coram Deo, Conf. art. 22. quod tamẽ Lutherana Conf. ſupradicta approbat. tit. De bonis operibus.

9. Idem reiecit Cantus Latinos in Eccleſia, omnes veſtes ſacras, omnia Sanctorum feſta, omnes ceremonias à Rom. Eccl. vſitatas, Hymnorũ & aliorũ S. Canticorum vſum, quæ tamen omnia & retinentur & in vſu ſunt Lutheri diſcipulis: vti palam eſt vbi ſupra, tit. de Miſſa & Art. 19. de Confirmatione & Vnctione.

Videatur Auguſtana Confeſſio, ſi non toto cœlo diſcrepet à Confeſſione Geneuenſi, ſiue Carentonica: quæ tamen Confeſſ. Aug. typis impreſſa eſt Geneuæ An. 1592. apud *Petrum Iacobum Choüet.*

Legatur *Hugo Grotius* contra *Riuetum* & alios irrecõciliabiles: cuius quidem ſcripta polemica ſunt digniſſima, quæ ab omnibus tum Lutheranis tum Caluiniſtis ſedulò perluſtrentur.

Et poſt hæc omnia audebit *Moſes Amyrath* aſſertionem iſtam in apricum ventilare, quòd *Nihil fuit à Caluino reiectum, quod non idem fuit à Luthero repudiatum &c.* Conſulerem ſanè

huic Miniſtro vt à ſua mentiendi libidine in poſterum temperaret, præſertim in rebus toti orbi diuturna experientia compertis. At quid laterem lauare molior? Equum hinnire, mugire bouem quis impediat? Voluit autem ex hac Theſi ſua vnitatem quandam & concordiam Religionis inter *Caluinum* & *Lutherum* euincere, vnde poſtea dicit, *ſatis ex hoc conſtare, Caluinum eiuſdem inſtinctu ſpiritus, qui Lutherum excitauerat, fuiſſe incitatum*: vbi tamen inopinatò veritatem dixit. Euidens enim eſt Hæreſiarchas iſtos, qui tam atrociter inter ſe diuiduntur, *Vnius eiuſdemque ſpiritus* (Diaboli ſcil. qui diſſenſionis ſpiritus eſt) *inſtinctu* afflatos *incitatoſque* fuiſſe.

Quem autem fructum operata eſt eiuſmodi Synodus Carentonica? *Numquid pax eſt*? Nihil minus. Miniſtri enim Lutherani Caluiniſtas Prædicantes eo magis diris deuouent & toto animo execrantur: eo quòd ſtolidiſſimo iſto Vnionis Decreto nouam Religioni Lutheranæ veluti ſcabiem & improperium affricuerunt. Eleganter quidem *Hugo Grotius* aduerſus *Riueti* Caluiniſtæ Animaduerſiones, in fine. *Miror conſcientiam aliorũ laceſſere eos, qui omnem vim conſcientiæ adimunt ſuo dogmate, cum docent iuſtificatis ſiue electis ſuis non imputari* grauiſſima quæque peccata, *non auferre ſtatum gratiæ adulteria & homicidia, ideo quod ea faciunt animo reluctanti, id eſt, contra conſcientiam.* En venenum doctrinæ Caluiniſticæ! cuius tamen Miniſtri blandiendi animo doctrinam Lutheranorum veneno carere docent! *Et hi ſunt* (inquit) *quibus ad conſpectum rituum etiam*

nihil mali habentium, oboritur vertigo. Hi ſunt qui in alios cenſuram ſibi vindicant, qui proſcripturis obtrudunt, quidquid ipſis in mentem venit. Et ſæpe fit, vt pro luce ſumatur Ignis Fatuus.

Et quis tandem finis harum controuerſiarum? Quæ ſpes componendi hæc diſcrimina, cum nemo ex eis alium, præter priuatum ſpiritum, admittat iudicem? O meram confuſionem Babylonicam! vbi non *Deus pacis*, ſed diſſenſionis auctor regnat Satanas. Quapropter idem Deus omnes qui ſunt extra Eccleſiæ ſuæ gremium, vt maturè in eundem redeant, adhortatur dicens, *Exite de Babylone populus meus, vt ne participes ſitis delictorum eius: & de plagis eius non accipiatis.* Apoc. 18. Hæc eſt, inquam, adhortatio Dei per os *Diſcipuli quẽ diligebat Ieſus*, non quidem facta ad damnatos ſpiritus, qui nunquam poſſunt exire de infelici illo loco confuſionis & tenebrarum, in quem ſua eos crimina præcipitârunt: non ad Paganos, quos Deus pro populo ſuo non agnoſcit; quippe nec ipſi vnquam eum pro Deo agnouerunt: non ad Iudæos, qui non ſunt amplius eius populus: non ad Turcas aut Mahumetanos, qui eius populus nunquam fuerunt: non ad Catholicos, qui ſunt domeſtici eius, & legitimi Eccleſiæ ſuæ filii: ſed ſine dubio ad hæreticos, cuiuſcumque tandem ſectæ fuerint: qui (cum Chriſtiani cenſeantur, vt pote qui baptiſmatis lauacro quondam tincti) tanquam filij ſpurij & degeneres de domo Matris ſuæ miſerè ſe proripuerunt, vt in fornicariam Babylonem, plenam confuſionis, omni deſtitutam ordine

ſe proiicerent : vbi nihil auditur niſi contradictio linguarum : cuius ciues omnes ſunt inter ſe diuiſi , & contra veram Eccleſiam capitali odio animati. *Præcipita , Domine , diuide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate* , Pſ. 54.

Quocirca , poſt tot *linguarum contradictiones*, poſt tot pugnantes huius ſæculi Hæreticorum ſectas , poſt tot ac tantas quæ obortæ ſunt in Anglia, de negotio Fidei, ciuium commotiones, quæ non modò Regem , ſed & regnum iſtud quam miſerrimè diſſecuerunt : poſt inanē & infructuoſam centum & viginti annorum de Religione conſultationem (*Quid* enim *rerum nunc geritur in Anglia* ? dixit olim *Guilielmus Lilius* qui ſcripſit Henrici VIII. tempore, & ſibi ipſe reſpondit , *Conſulitur de Religione* : quod vel pueris qui Grammaticam eius manibus terunt, notum eſſe debet) quicunque ſerio ac diſtricto habito examine , ſe vel parentum ſuorum , vel ſuopte vitio extra Veteris Eccleſiæ communionem (quæ eſt vnica veritatis Regula) poſitum eſſe perſpexerit : ſi ſinceram & infucatam conſcientiæ pacem : ſi ſecuram animæ ſuæ periclitanti ſalutem conſequi velit : feſtinet cum columba ad *Arcam Noē* , è qua egreſſus eſt: confugiat ad Eccleſiam Catholicam , extra quam nulla ſalus : animaduertat illud Geneſ. 8. quòd *coruus* extra Arcam dimiſſus à Noe *egrediebatur & non reuertebatur:* (Textus Hebr. habet *egrediebatur vltrò citróque* volitans) *donec aquæ ſiccarentur ſuper terram* At *columba reuerſa eſt ad eum in Arcam*, quia *non inuenit*

uenit vbi requieſceret pes eius. Coruus, animal rigrum & ſordidum, hæreticos notat, qui extra Eccleſiæ communionem, falſorum dogmatum veluti ſterquilinio ac cadaueribns facillimè paſcuntur: & propterea ad eam redire minimè laborant. At columba, animal purum, typus animæ ad ſalutem deſtinatæ, deque ea & eiuſdem mediis ſollicitę, maturat ſe in Arcam i.e. Eccleſiam recipere, quia nihil ſibi tutum, durante huius mundi Diluuio, extra eius contubernium pollicetur. Audiat talis anima, quid illi conſulat egregius ille Doctor *Auguſtinus.* Ille alludens ad illum locum ſupra citatum *Præcipita, Domine, diuide linguas eorum,* &c. & exponens illa Pſalmiſtæ verba, *Proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum.* Pſ. 30. ſic ait. *Quod eſt Tabernaculum? Eccleſia huius temporis Tabernaculum ideò dicitur, quia adhuc in terra peregrinatur: ergo in Tabernaculo proteges eos à contradictione linguarum. Contradicunt linguæ multæ, diuerſæ hæreſes, diuerſa ſchiſmata perſonant: linguæ multæ contradicunt veraci doctrinæ. Tu curre ad Tabernaculum Dei; Eccleſiam Catholicam tene: à regula veritatis noli diſcedere: & protegeris in Tabernaculo eius à contradictione linguarum.* Et nequis hoc de alia quàm de Romana Eccleſia dictum putet, audiat quid idem Auguſtinus lib. de vtilitate credendi cap. 17. ſcribat, *Dubitamus nos eius Eccleſiæ condere gremio, quæ ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtrà Hæreticis circumlatrantibus, culmen authoritatis obtinuit?* & in epiſt. 165. ad Generoſum, *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium*

considerandus est, quanto certius & verè salubre ab ipso Petro numeramus, cui totius Ecclesiæ figuram gerenti Dominus ait, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam? Petro enim successit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus, Anacleto Euaristus, &c. quos omnes Romanos fuisse Pontifices nemo negare potest. Subiiciat (inquam) se humiliter summitati huius authoritatis à Christo institutæ, cum Diuo Hieronymo, qui exortis in Orientali Ecclesia circa Religionem dissidiis, ad Summum tunc temporis Pontificem, tanquam ad legitimum controuersiarum Diribitorem confugit. Sic enim ad Damasum Papam scribit. *Quoniam vetusto Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam & desuper textam, minutatim per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes, & inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile vbi fons signatus, & hortus ille conclusus sit, possit intelligi: ideò mihi Cathedram Petri & fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam: inde nunc animæ meæ postulans cibum, vnde olim Christi vestimenta suscepi.* Et hic colophonem additurus, vel acerbissimos Catholicæ Ecclesiæ hostes prouoco, vt sepositis verborum inuolucris ingenuè (si possint) dicant, (quandoquidem hæreses in quouis ferè post Christum sæculo fuisse non est diffitendum) quænam Ecclesia præter Romanã, omnes in toto orbe pullulantes hæreses ante Lutheri ortrm authoritate sua debellauit ac pessundedit? Quænam præter Romanam, iuxta promissum Christi semper visibilis & *portis inferi inexpugnabilis* permansit?

quænam ſola hæreticorum victrix, & *ad quam*, vt ait Cyprianus, *nunquam acceſſum habere poterat perfidia?* Quænam ſit illa Eccleſia, de qua prophetia Eſaiæ adimpleta fuerit, *Omne vas quod fictum eſt contra te, non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi in iudicio condemnabis.* Eſaię. 54. Eccleſia enim Iudaica per mortem Chriſti abrogata & repudiata eſt. Gręca lapſa eſt in hęreſim, dum æternum & ſubſtantialem Spiritus ſancti à Patre & Filio proceſſum abnegauit. Turcica ſeu Mahumetanica Chriſtianum nomen odio proſequitur. Aſſignent aliam, præter Romanam Eccleſiam, quæ non interrupta ſucceſſione omnibus à Chriſto in Euangelio indultis veræ Eccleſiæ priuilegiis ſemper gauiſa eſt, & adhuc gaudet. *Quid eſt* (inquit Auguſtinus in pſ. 101. loquens in perſona Eccleſiæ Chriſtum alloquentis) *quod neſcio qui recedentes à me murmurant contra me? Quid eſt quòd perditi me periſſe contendunt? Certè enim hoc dicunt, quia fui & non ſum. Annuntia mihi exiguitatem dierum meorum. Quamdiu ero in iſto ſæculo? Annuntia mihi propter illos qui dicunt, fuit, & iam non eſt? Apoſtatauit & periit Eccleſia de omnibus gentibus. Et annuntiauit: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi.* Chriſtus eſt incõmutabilis & verax in promiſſis, quicquid Hæretici cõtrà ganniant. *Ieſus Chriſtus heri & hodiè idem & in ſæcula.* Heb. 13. & propterea Propheta Regius de omnibus hæreticis (& præcipuè de Luthero & Caluino) qui hoc vltimo ſæculo ſe & alios de ſemita ſalutis abduxerunt, rectè conqueritur, ſi-

mul Deum ad eorum apoſtaſiã & opprobria cõtra Chriſtum & Eccleſiam eius vlciſcendum inuocans, Pſ. 88. *Memor eſto, Domine, opprobrij ſeruorum tuorum quod continui in ſinu meo multarum gentium: quod exprobauerunt inimici tui, Domine: quod exprobrauerunt commutationem Chriſti tui.*

Hanc igitur longam ab inſtituto meo digreſſionem conſilio *Hugonis Grotij* ad Miniſtrum quendam iuuenem Caluiniſtam, nomine *Iacobum Laurentij*, concludam. Qui quidem *Grotius* licet extra viſibilem & externam Eccleſiæ commu nionem quo tempore ea ſcripſit, fuerit: cum tamen animo pacifico ad ſcribendas Religionis controuerſias acceſſerit, vti ex Operibus eius facilè perſpicere licet, ipſius verbis vti non grauabor. Et ſanè moderatiores qui ad *Arminij* ſententiam accedunt Lutherani (nam & ipſi multùm inter ſeſe diuiſi ſunt) maiori commiſeratione digni ſunt, quam veſani iſti Caluini aſſeclæ, dicentes ***Pax vbi non eſt Pax***: foris enim *loquuntur pacem, mala a. in cordibus eorũ*. Ille igitur in vltimo eius, quod contra Riuetum vidi, opere, Iacobum illum Laurentij, qui contra eum ex aliorum ſuaſu calamum ſtrinxerat, ſic hortatur. *Cum intelligam te minùs eſſe ſeditioſum, quam ſunt non pauci tui ordinis, & ab alijs impulſum ruere magis quam ire: volo tibi dare fidele conſilium. vt Sacras Literas diligenter legas: non quales fluunt per riuos lutulentos* (puta Bezæ & Similium verſiones) *ſed quales è limpido fonte: pro Confeßione Belgica* (ſeu Geneuenſi) *legas Confeßiones veterum Chri-*

ſtianorum, quæ extant in libris ipſorum Apologeticis: pro Inſtitutionibus Caluini, Commonitorium Vincentij Lirinenſis; pro Catechiſmo Vrſini, Catecheſes Cyrilli: pro Actis Synodi Dordrechtanæ, Acta Synodorum Vniuerſalium. Id ſi facere velis, ſine ſtudio partium, in quibus natus educatuſque es: facilè videbis, non Grotium Papizare, ſed Laurentiaden nimis diu Caluinizare. Et hoc conſilium eius omnibus aliis Caluiniſtis, præſertim iunioribus, qui non ſunt indurati in malitia, vtiliter admodum inſeruire poſſe exiſtimo.

EPILOGVS.

ATQVE hæ quidem Orationes ſupra memoratæ *Edouardi Dering*, Equitis Cãtiani Anglicano idiomate, arguto vocis accentu vnà cum decenti corporis geſtu modulatę, idque à præcipuę in ſenaculo vbi ſedit, auctoritatis viro, omniumque calculis doctiſſimo facundiſſimoque inter nouos hoſce Religionis conſultores, quique primus in conſeſſu iſto contra Archiepiſcopum Cantuarienſem eloquentię ſuę ſpecimen dedit: multis ſpem faciebant fore, vt non parùm ponderis in opere (quod vocant) Reformationis apud omnes eſſent habiturę: vtque Rhetor ipſe dignus haberetur qui ad nouũ aliquem in republica honoris gradum eueheretur: verùm è contrario (proh dolor!) Eques iſte, pro operis ſui prędmio, omnium ſuffragiis iudicatus fuit - *breuibus Gyaris & carcere dignus.* Nam haud ita multo poſt

è ſenatu ipſo fuit exturbatus : & decreto cautum eſt, ne deinceps vllam in ſenatu ſedem aut ſuffragium obtineret. Ipſæ etiam Orationes eius (vti dictum eſt) eorum iuſſu igni traditæ, ipſéque Auctor, poſtquam à Parlamento ad Regem defecit, & à Rege iterùm ad Parlamentum: in Turrim Londinenſem tandem detruſus eſt. Quo in carcere varias expertus rerũ vices, cum vidiſſet nihil certi in negotio Religionis à ſuis ſtatui poſſe, quin & populares turbas magis magiſque indies augeri: ad inopiam mentis prorſus redactus, ex atra bile extremum diem obiit. Quas orationum eius excerptas particulas, vna cum Obſeruationibus quibuſdam neceſſariis, in pnblicum emittere æquum iudicaui, tum ad vitam Hiſtorię rerum in Anglia geſtarum, tum ad Hæreſeos ibidem breuì vti ſpero, futurum interitum. Quippe pace inter potentiſſimos Francorum & Hiſpan. Reges iàm feliciter confecta, de Rege Angliæ vna cum auita Religione, Deo adiuuante, reſtituenda deliberatur. *Tu exurgens, Domine, miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus* pſ. 101.

FINIS.

GIGANTOMACHIA
HVIVS SÆCVLI,
SIVE
DE REBELLIONE SCOTICA
contra Regem CAROLVM, cæteriſque funeſtis effectibus, ex Caluiniani Euangelij prædicatione, tanquam ex vera *peſtilentiæ Cathedra*, in Anglia productis.

POEMA SCRIPTVM EO TEMPORE quo Sereniſſ. HENRIETTA MARIA, *Magnæ Britanniæ Regina, ſuo expulſa regno ſe in Galliam recepit, Anno* 1645. *nunc autem aliquanto auctius primò in lucem editum.*

Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. MAT. 7.

LONDINI,

M. DC. LIX.

DILECTISSIMIS ACADEMICIS Oxonij & Cantabrigiæ in Anglia ſtudentibus S. P.

CVM iſtis eloquentiæ floſculis proſaica oratione dilatatis concinnatum aliquod è penitioribus Muſarum hortis olfactorium ſubnectere, idque ſimul in publicum dare meditarer: cúmque huius ſequentis Poematis Auctor (cuius ſubticetur nomen) in Academia olim Oxonienſi Artium Magiſter fuerit: putaui me vobis rem non ingratam facturum (*Dilectis. Academici*) ſi veſtro illud omnium in vtrauis Academia degentium nomini inſcriberem: quandoquidem haud illepidam, ſed tamen lachrymabilem earum rerum ſcenam, quæ iam inde ab *Elizabetha* ad hoc vſque tempus in Anglia & præcipue in Academiis veſtris geſtæ ſunt, ſtrictiori ſermone complectitur. Subuereor equidem quamplurimos ex vobis Partium potius quàm Patrum ſtudio agi: & (quod Rex* *Iacobus* de primis Scotiæ ſuæ Reformatoribus) *cæco animi impetu, abſque indicio, in negotio Religionis circumferri*: & propterea hoc, quod vobis offero, xeniolum auerſaturos fore: non tamen dubito, quin ex vobis reperiantur aliqui, qui haud vſque adeo infruniti ſunt, vt meridianæ luci oculos obfirmare ſedulò velint, quíque hoc opuſculum æquo animo legere, & fructum aliquem capere: imo & ex veritate

* *R. Iac. in Baſilico Doro l. 2. pag. 40. & 41.*

agnita *ad cor redire* Dei gratiâ moueantur: illud ſanè (quod à quibuſdam Oxonienſibus accepi) grauato ferens animo, Vniuerſitatem Oxon. olim totius Europæ celeberrimam, eò tandem dementiæ deueniſſe, vt *Oratio Dominica* à Theologiæ profeſſoribus recitari Procancellarij edicto prohibeatur. Valete è Cœmeterio Paulino prid. Kal. Sept. 1659.

Veſtri omnium amantiſſ.
I. A.

GIGANTOMACHIA
HVIVS SÆCVLI
SIVE
De funeſtis effectibus ex Caluiniani Euangelij prædicatione (tanquam ex peſtilentiæ Cathedra) in Anglia productis.

ERGONE tantorum ſerie laſſatâ malorum,
Deſeris inuiſas, Aſtræa Britannica, *terras,*
Et patriam repetis triſtem allatura querelam,
Vltima cœleſtûm? ſiquidem chorus ille Dearum,
Quæ Neptunicolas duce te petiere Britannos,
Priſca Fides, Pietaſque ſoror, Clementia, Pitho,
Et Charites, Muſiſque nouem comitata Minerua,
Pax quoq; te meditante fugâ, priùs inde migrauit
Impatiens ſcelerum, perituraque denouet arua.
Et meritò: quid enim? Superis noua bella Gigantes,
Terrigenæ mouere, refractis finibus Orci
In lucem reduces: cùmque illis agmine iuncto,
Caluini *genius furialibus ater echidnis,*
Eumenideſque ſimul: Laruæque nigrantis Auerni

Poëta Alloquitur Reginã Angl in Galliã refugã, ſororẽ Ludou. Iuſti, quam propterea Aſtraã nominat.

*Adumbratio primorũ motuũ ciuiliũ in Angl. ac totius ἀταξίας ſtatim inſecutæ.

*Triſte ſatellitium: Lemurúmque è plebe malorum
Magna cohors abijt: inq; aſtra polumq; miùantes
Omnia concutiunt, rupta compage catenæ
Quæ cathedra ſuffixa Iouis mundana decenti
Ordine quæque ligat: committunt ima ſupernis,
Summa imis: orbemque ſuis euellere niſi
Sedibus, horrifico mortalia turbine miſcent.
Ilicèt (infandum) perit * Ordo, decoráque rerum,
Squaleſcit Facies: ſubeunt horrorque nigrórque,
Multicolórq; Babel, iterùmque infauſta veretur
Anglia Niliacis iampridem oppleta tenebris
Exitiale chaos: nuſquam pietatis habetur
Aut virtutis honos, ſed Relligionis auitæ
Sacrilega impietas ſpolijs ditatur opimis:
Sub pede calcatur probitas, reuerentia Legum
Vertitur opprobrio: ſcelus eſt parere Monarchis,
Subditus ille probus, iugulum qui Regis aperto
Impetit enſe: mali qui nil patrat, ille * Malignus.
Damnantur capitis Fidei pro crimine Ciues:
Læsáque Maieſtas ſummo cumulatur honore.
Exulat omne bonum, vultum cultùmque viciſſim
Ementita boni latè dominatur Erinnys,
Contempſrix diuûm, ſceleratæ ſperma Geneuæ,
Capta oculis; Scoticàq; hominũ caligine mentes
Strinxit: & obtentu puræ pietatis in ipſos
Excitat arma Deos; ſummumq; nefanda Tonantẽ.
Nam ne fortè grani Superis, velut antè, ſubacti
Fulmine Titanes propria ſub mole perirent,
Néue Pater Diuûm (ſi quid tamen* effugit illum)
Sentiat inſidias: Regumue potentia cœptis
Talibus obiaceat: feròque armata rigenti

* Quia omnes honeſti Regis ſubditi vocabantur Maligñates.

* Qu. primi motus in Anglia veherunt è Scotia quæ σκοτία i. e. tenebræ

* Dixi, dÿ eſtis &c. Pſ. 81.

* Et ſi eſt ſciẽtia in

Turba omnis (liquido quâ cingitur æquore Tellus)
Vltum eat indomitæ molimina dira cateruæ:
Suppetias, Caluine, *tuas petiêre; datúrque*
Viribus ingenium: sceleriq; superuenit æstus.
Suppliciterque adeunt: &, vt vnius omnia sermo
Vota semel pandat, pro fratribus ora recludit
Centiminus Briareus, *humilique ita voce profatur.*
Magne gener Ditis, cui furui nata Tyranni
Coniugio cessit, per quam tibi summa potestas
Munere dotali ac genialis fœdere lecti
Obtigit: vnde mare & terras, deuexáq; mundi
Climata multa regis: vacuúmque Acherontidos
Aulæ
Ciuibus implêsti gremium: qui maximus orbis
Arbiter, Infernique Iouis pugil vnicus audis:
Tramite qui Veterum poteras deflectere solus
Regna tot & populos, & quî Via lactea *quondam*
Omnibus innocuo pede progredientibus illac
Æthereum patefecit iter, subuertere callem;
Amplificans regnum Vitrici, nisuque fideli
Per noua Tartareas reserans vestigia Valles:
Fulgida qui calcas Regum diademata, cuique
Nulla nocere potest vis, nulla obsistere virtus:
Affer opem, petimus, nostrisque allabere cœptis.
Consule te nobis opus est: ingentia mente
Voluimus, at validis nihil insuperabile telis,
Auspice dum tali conamina ritè gerantur.
Pristina fama tuas dubio procul attigit aures,
Vt priùs æthereas bellando inuasimus arces
Aliter non fausto, stat enim tibi vera fateri,
Pròh dolor! (atque alto suspiria pectore duxit)
Pugna ea longa fuit: Superosque coëgimus omnes

altissimo Ps. 72.

* Apositè vocat Caluinum *Plutonis generum* quia despõsauit sibi Hæresim eius filiã natu maximam vtpote quæ statim ab orbe cõdito ex corrupto Dei verbo ortum habuit. *Geu. 3.* Vnde &Ioa. 8 dicitur Diab. homicida.

mẽdax ab initio & pater mendacij: mẽdàciũ significat hæresim.

*In varias abdi mendaci fronte * figuras.*
Ipſa fidem dictis perhibet Nilotica Tellus,
Conſcia quæ turpiſque fuga, formaque receptæ
Indecori Diuos ſpecie pingìtque colìtque
Quotquot adhuc Proauûm lõgæuus tradidit error.
At quia conſilio caruerunt fortia facta
Stultitiæ pœnas dedimus: caſùque verendo
Liquimus exoſum ventura in ſæcula nomen.
Supplicijs nec adhuc crudelia Numina noſtris
Inuenere modum: duris ego vinctus adhæſi
Cautibus Ægæi maris (hinc Ægæona vulgus
Me vocat opprobrio) Phlegræa iugera terræ
Oppreſſere Gygen: alios Trinacridos Oræ
Sulphurei montes: vidiſti ingente grauatum
Pondere torrentes vomniſſe Typhœa flammas,
Multaque fraternis congeſta cacumina membris
Vnde Parens Tellus ſolet acri febre cieri.
Nunc quia vindicta locus eſt (ſeruilia poſtquam
Colla iugo directa vides) odióque Tonantis
Pectora noſtra tument: animo communia iuncti
Arma reſumamus, nam cauſa eſt omnibus vna.
Imperio, Caluine, *tuo modò ſubditur omnis*
Inferior Mundus, reſtat tibi vincere Cœlum:
Huc pariter repetamus iter; trudamus Olympo
Cœlicolas omnes, totus tibi pareat Æther.
Tu Rex noſter eris, tibi tendimus arma, tuiſque
Vtemur monitis, tu viribus vtere noſtris:
Nóſque tibi ſoli, ſubdentur cætera nobis.
Marte nec aprico res eſt tentanda, ſed altis
Aggredienda dolis: hinc collimare ſagittas
Piláque iuncta decet, ne quod caligine nigræ
Obtegitur noctis, pateat: præuiſáque tela
Excipiant hoſtem riſu, non vulnere lædant.
Corrigat erratum vetus ars noua, primáque clades

Nos ſapere edoceat : validis fac ſpicula dextris
Miſſa ſcopum teneant, patrias huc dirige ſuaſus
Ne titubent greſſus: tu ſufficis omnibus vnus.
Præſta igitur nobis, vt qua priùs arte ſolebas
Fingere de niueis nigra, déque nigrantibus alba,
Vt ſenis Autolyci ſtirps haud indigna parentis,
Quóque priùs docta poteras modulamine linguæ
Ponderéque eloquii, & ficta grauitate loquentem
Efformare Iouem (ſua vibret inania quamuis
Fulmina) & inuitum tua cogere caſtra ſubire,
Et pugnare ſibi, nihil auſum oppedere contrà:
Pèrque preces longas & ſponte cadentia verba
(Celſa vbi barbatus ſcandiſti roſtra Magiſter,
Denſáq; plebs humeris auida bibit aure loquelas)
Deglutire domos viduarum, euertere Regna,
Pectoráque in Regum ciuile recondere ferrum:
(Interea ſanctus tamen & Diis carus haberi
Quique Deûm ſacra ritè colas, Regumq; curules,
Qua ius faſque ſinunt: puráque ſalutis amore
Cuncta geras) iuſto affingens conuitia cœlo,
Factáque Codicibus fucans atrocia Sacris:
Hoc opus archetypum (ſodes) has deniq; technas
Candidus edoceas: ſic nunquam blanda loquenti
Credula deſit anus: ſic grex tibi creſcat opimus
Et nunquam obuerſo relegat veſtigia tergo.
Sic tibi nobiſcum pede tuto inuadere detur
Regna Iouis, rutilo curuatum fornice cœlum:
Pelleréque Indigetes, ſolioque ſedere Tonantis.
Preſſit ab his vocem Briareus, *affuſáq; fratrum*
Agmina concordes animos & vota dederunt.
Mox Caluinus *ad hæc : O priſci gloria ſæcli,*
Bello infracta cohors, Terræque illuſtris origo!
Tuq; potens Briareu! magnorum maxime frati ũ,

Supra omne quod dicitur Deus. 2. *Theſſ.* 2.

Quos mihi par genius, materni & sanguinis ordo,
Causaque non dispar fido sociauit amore:
Grata mihi retulistis, & aut mea lumina caca
Nocte premuntur (ait) méq; ars mea deficit annis
Ærumnisque grauem, remanetq; effœta voluntas.
Aut siquid video, valeóque, perutile vobis
Seruiet officium: votique potentibus huius
Esse dabo. Promissa fides & facta sequuntur.
Protinus è populo famulorum ingente suorum
Præcipuos fraudum artifices, scelerumq; ministros
Euocat: haud illis quisquam velociùs alter
Splendida per populum spargit cõmenta sequacem,
Insidiásue struit, structásue fidelius implet:
Sufficit hos operi Senior, mandatáque iungit,
Consilióque regit: patulumque effundit in Orbem.
Olli per latebras, salebrosaque tesqua viarum
Ocyùs aëripedi cerno, volucrique sagitta
Aufuginnt, peraguntque sui dictata Magistri.
Mox mare velivolos penetrãt quî diuidit Anglos
Iamq; lares Britonũ Thamesinaq; pascua tãgunt
Inque vicem diduntur, & in diuersa secantur
Agmina: Beza *suos pugnæ Coryphæus in ipsa*
Fronte locat pugiles: partes capit inde secundas
Militiæ Dux ille nigræ Frumentius: *illum*
Præsulis expulsor noti pietate Salesi,
Fraudèque Caluini *famosus in Vrbe* Farellus
Excipit, & socias parili regit arte Phalangcs.
Hinc Osiander *atrox, & acerba mente* Grynæus.
Ambo Zuingliadæ, sed transfuga partis vterque:
Hique peregrinas præeunt ad castra cohortes.
Inde Bucerus *adest & falso nomine* Martyr
Nobile par Fratrum, qui quondam cannabe cincti
Mollia frangebant monachali membra rigore,

B. Frãciſci de Sales Epiſ. & princ. Geneu. Geneua ſiue Gebenna quæ non multũ diſſonat à Gehenna,

Nunc

Nunc ope Caluini, *ſtimulante Cupidinis æſtro*
Exierant clauſtris, omnique pudore relicto
Impia clauſtra vocant, & vatam monaſtica damnãt.
Ponè ſubit furua Caluini *eductus ab arce*
Barbatus magis ille, olidóque ſalacior hirco,
Nec minus aſtutus Scotica na vulpe, Ioannes
Knoxius: *extremum peragitque triarius agmen.*
Reza *caput regni* Londinum *protinus aſtu*
Occupat obſidione procul: mox pectus Elizæ
Faſcinat, & ſtolidum demulcet fraude Iuellum
Linigerum Myſtam, cui ſedulus aſſecla manſit,*
Gentis & Angliacæ mentes delruſit & aures.
Oppida Pars vrbesq; alias: Pars rura pererrant:
Pars celebres olim ſtudiorum laude ſacrorum
Inuadunt Cathedras; & turpi ſtercore fœdant
Oxonijq; * *pium* Cantabrigiæq; *Lyceum.*
Nec eque diſperſis loca per longinqua colubris,
*Quoſque** Lemana Palus *ſtridenti fauce rubetas*
Stagnicolaſq; boas immundo gurgite nutrit:
Hi Procerum ſenſim vulgiq; in pectora ſerpunt
Inficiuntq; animos, falſiſq; timoribus implent:
Iam conſulta Patrũ, iam cana dogmata Romæ
Priſcaq; ſacra docent Caluini *euellere runcâ:*
Templa æquanda ſolo, tradendas ignibus Aras,
Mente Deum ſola, non ritibus eſſe colendum,
Ingeminant: ſic dulce datur prom elle venenum,
Mentibus incautæ plebis, laruataq; Recti
Crimina ſub ſpecie: Diuis indicere bellum
Relligione decet, priuaréq; Numen honore.
Tandem vbi ſucceſſit maleſidæ Iacobus *Elizæ,*
Matris ineffenſæ fidei malè degener hæres,*
Colluuies creuit ſcelerum: reuiuataq; pugna eſt
Acrior: & vires effrons Audacia cepit.

Pſeudo Epiſcopum Sariſburienſem.

**Petrus Martyr* Oxonii *Martin. Bucer.*

Cantabrigiæ cœperũt docere Caluiniſmũ.

*Lacus Lemanus prope Geneuam.

**Maria Stuarta* Scotorũ Reginæ.

Certaq; ſpes palmæ eſt: meritò iam Beza *triũphat*
Knoxiacæ *fidei Patriarcham cernere Regem.*
Iamq; boas præter, quos putida Lerna * Gebennæ
Edidit, * *immunes priùs, immittuntur in Anglos*
Immanes feritate Lupi, ſed pellibus extrà
Induti facies ouium: de gente Scotorum,
Galuidiuſque *vorax,* & Belcanquallus *obeſo*
Pinguis aqualiculo, Veemuſque, & Roſſus, & Humus,
Innumeriq; alij: crebro iam remige monſtra
Gentibus è variis in regna Britannica tranant
Caluini *deprompta penu: de gente Batauæ*
Gomarus Pareuſque *biſrons, hamoq; doloſus*
Piſcator, *largoque meri* VVollebius *hauſtu*
Teuto potens: rabidóq; cibis Hemmingius *ore*
Cimber inexpletus: multique è ſtirpe Lutheri
Atq; Melanchthonis oua: ferorũ hæc turba Gigantũ
Suppetiis promouit opus, congeſtus vt alto
In Superos benè iuuit iter * mons Pelion Oſſæ,
Hiſque ſuperpoſitus cœlo vicinus Olympus.
At nondum completa *fuit* menſura *patrandi*
In Cœlum ſceleris, ſceptrum moderante Iacobo:
Nam Caluinus *opus properis priùs auſibus orſum*
Cunctando reparare ſtudet, lentoquè monetur
Machinam tanta gradu, ne feſtinata citatis
Paſſibus auctoris capiti trahat illa ruinam.
Propterea ne cœpta labent, vt firmiùs arbos
Radices agat ima ſolo: qui deinde legantur.
Reycit optatos in idonea tempora fructus.
Maturos nec adhuc, Iacobo *Rege, racemos*
Protulerat vitis, licèt imbre rigata frequenti.
Ergo vbi deſcendis tacitas Iacobus *ad vmbras,*

Genenua, alio nom. Gebenna, quod non multũ diſſonat à Gebenna.

Quià Anglia nõ parit lupos.

Allud. obiter ad Caluiniſtas Monſpelienſes.

Cárlus & *imperii ſuccedere cœpit habenis:*
Multiplices tuitu naſcentes ordine ſectas,
Rixarum ſegetem, ſqueis Rex animoſus obiret
Quáſque agricultura vigili ſtudioque fouebat,
Nam ſibi promiſit meſſem inde laboris opimam:
Diſtulit hæc prudens Carolini *in tempora Regni*
Anglia nam cladi ſubitura proxima multas
Scinditur in partes: pars magna procaeis* Elizæ
Sacrileges ritus, muliebriaque Orgia plaudit:
Atque vxoratas dominantes Æde* thiaras.
Altera fatidici ſuperûmque arcana crepantis
Scrinia Perkinſi *ſequitur: Borealis at illos*
Ignea vis Knoxi *rapit, hos maleſana madentis*
Somnia Riueti, *aut ventoſi flabra* Molini,
Proximaturma tuas ſequitur Chamiere *chimæras*
Suada Caſaubonidæ *capit hos, pars iſta furentis*
Iurgia Burtoni *laudat*, capitiſque rotundi
Arrigit oblongas (quas hic male perdidit) aures.
Quiſque ſuos habuere Duces erroris, & inſtar
Laocoontis eunt magna comitante caterua
Quã ſua fert rabies: ſic quæ noua monſtra Geneua
Protulit, in varias abeunt ſine fine cohortes.
Quippe ſemel frænos excuſſa Licentia legum
Diruit, ædificat, nouat, immutatque nouatum,
Inconſtanſque ſibi miſera vertigine gyrat.
Lis cadit in lucrum: rixæque adiungitur omni
Gens noua ſectantûm, diuiſáque caſtra ſubinirat.

Omne regnum in ſe diuiſum deſolabitur.

Epiſcopos cõiugatos Perkinſius Puritanorũ primipilus & Prædeſtinatianus hæret.

Diſcip. Caluini geneuę educãtus & in Scotiã miſſus.

Miniſter Batau. primi nominis

Petri *du Moulin* (quod molendinum ſonat) huius vento doctrinæ Caluiniſtæ Gall. circunferuntur.

Hinc noua ſtirps Bruni *chymica mirabilis arte*
Eliquat impuræ facem ſcoriamque Geneuæ:
Inde Sociniades *ruit*, & Iudæus *apella*,
Antinomique Atheique & bino gurgite tincti,

Bruniſtæ.

Socciniani.

Anabaptiſtæ.

Presbyteriani. Indepẽdentes. Adamitæ. Tremẽtes. Æquatores. Fœminæ Prædicantes. Puritanici. In sula Americana, vulgò *La nouuelle Angleterre*

Presbyterique noui: Chiliastæ, Enthusiadæque,
Et non pendentes, *& nudi cultor* Adami,
Quique tremunt: *iuga quique reductis vallibus*
æquant:
Innumeraque obeunt Trinobantum Manades vrbẽ
Fœmineæ Rabbi: *Noua iũctas* Anglia turmas*
Addit, & in veteres immittit iniqua Britannos.
Singula sacrilegæ discordia germina Sectæ
Lõga referre mora est: nec pacẽ aut mutua seruant
Fœdera, quique aliis bellorum incendia fiunt,
Haud sibi conueniunt, inimicaque prælia miscent.
Sic vbi longinquis effusi finibus olim
Sauromatæ, Gottique, & quos ferus expulit Axis,
Cingere venerunt fulgentibus ære maniplis
Et pulsare sacram rigidis incursibus Vrbem,
Internis licet ipsi odiis animisque malignis
Flagrarent penitùs, dubioque cruenta mouerent
Prælia Marte diu, Romam tamen omnibus vnum
Perdere erat studium, coniunctáque tela ferebant
Vrbis in excidium: pars grandia tormine saxa
Mittere, & ærato validos quatere Ariete muros:
Pars ope Vulcani: pars altis ima fodinis
Tentabant cæcisque viam reserare cauernis:
Pars capere assultu, scalasque adhibere parabant:
Insidiis alii: rigidoque satellite portas
Seruabant vigiles: donec lassata verutis
Mœnia, & heu! nimia iaculorum grandine victum
Demisere caput: direptaque milite sæuo est
Vrbs ea Magnorum *Domus & penetralia* Diuûm.
Haud secùs hi variis dissecti litibus hostes,
Queis magè Sarmaticis inter se conuenit vrsis
Aut catulis pardorum aut fœta tigride natis:
Communes aluere tamen concorditer iras,

SS. Pet. & Pauli.

Omnibus hæc eadem meta est, scopus vnicus, orbis
Expugnare Caput, Petrique *exscindere* sedem.
Quóque queant sanctum sceleri prætexere velum
Pelliciantque leues animos, & ductile vulgus
In sociale nefas, tragicis clamoribus implent
Aera, Stentoreoque remugit terra boatu:
Rostraque conscendunt sonitu trepidantia rauco,
Séque crepant veteres Templi reparare ruinas*
Cœlitus emissos, & Sancta Oracula Legis
Pandere, sidereique facessere iussa Parentis,
Iussa ignota priùs, priscisque abscondita sæclis.
Decidat extẽplò Meretrix Babylonica, *clamãt,*
Pota venenatis quæ Regum pectora philtris
Ebriat, idolisque replet loca sacra nefandis:
Phana prophana Lupa, vestigia nequa supersint,
Diruite, ex imis eradite fundamentis.
Sic ait inferni gens dira propago barathri:
Osque, *quod* in cœlum *toties* posuere, *quod ipsis*
Omnem Cœlitibus rapiendo orbauit honorem:
Pro Ioue, zelotypo (quis crederet?) æstuat igne.
Iamque vbi flaua Ceres messoria postulat arma,
*Præcipuus necis ille Faber, Regumque *flagellum,*
Dissidiis ansam populi sibi nactus amicam
Ancipitem falcem sibi poscit, vt ære recidat
Omne quod obfirmat sceleratis ostia cœptis.
Rex etenim Britonum, cum persentiscere cœpit
Fatales Furias, ficta pietate, rebelles
Intentare manus, & personata per omnes
Monstra scatere domos, quorum sine fine modóque
Impatiens fræni petulantia creuit in horas,
(Nil nisi iustitiam, legumque & Regis honorem
Et Superum cultum dum balba nare sonabant)
Consuluit serò nimium sibi: scilicet Æger

i. e. Ecclesiæ.

Posuerunt in cœlum os suum Ps. 72.

*Caluinus

Iam poſcit medicos moribundo gutture ſuccos,
Dira lues vbi ſe per cunctos diſpulit artus.
Nouerat hoc olim venturum prouidus Augur,*
Caluinus. *Quod* Carolus *demùm larua pertæſus iniqua,*
Exoſuſque nefas, ad iuſta recurreret arma,
Enſeque diſtricto Titanibus ille ſuperbis
Seriùs obiiceret ſceptrum regale premendis:
Anticipanſque malum, Scotica de gente tumultus
Scoti vocabantur olim Picti. *Excitat, vt vires Regi labefactet inanes.*
Hoc igitur medio, quo voti compos abiret,
Manibus imperitat Knoxi, *dare claſſica* Pictis
Acribus, & crebra iam ſeditione paratis
Intret vt Albionem miles numeroſus, vt hoſtem
Tolleret è medio: Regiſque ex clade Britanni
Sterneret ille viam turbandis æthere Diuis.
Nec mora: dimiſſis arcto de carcere natis
Æolus infremuit: crepuitque tonitribus æther:
Omne malum ab Aquilone paſſim in ſacris Lit. *Moxque procelloſum tenebrantibus aëra ventis,*
Axe ſub Arctoo, cataracta è nubibus atris
Lapſa Caledonios vndis ſpumantibus agros
Obruit & iunctos abſorbuit inſimul Anglos,
Diluuiumque ingens, numeroſis imbribus, omni
Obice ſemoto, plenaque voragine rupit.
Nam Caluinigenis *dum Rex malè ſtrenuus* Hydris
Obſtitit infelix, caſtriſque ſub hoſtica lora
Exutus cecidit: ſimilato iure Tribunal,
Cui ſiſtendus erat, pompa oſtentante leuatur,
(Sic Themidem Styx ipſa cupit feciſſe nocentem)
Bradshauius *Syrmate cui Tyrio* Caluini de grege* Iudex
Præficitur: peragitque reum, damnatq; necandum.
Victima ſic Furiis nigri ex penetralibus Orci*
Excitis periit lugendus ab orbe Monarcha,

Auguſtumque caput, ſectum lictore cruento
Ante ſuas Ædes, ferali in pegmate liquit:
Barbaricæque necis vindictam ſanguis inultus
Vociferatur adhuc, ſurda licèt aure repulſus:
Aſtræa miſeras nequicquam iterante querelas.
Ergo Giganteis repetitus viribus Æther
Caluino *monſtrante viam, modò grande periclum*
Suſtinet: aggeſtis ex quo tot montibus altis
Fulmina nec veriti nec atrocem Numinis iram
Terrigenæ Fratres Diuos generaliter omnes
Detraxere polo: monſtroſaque brachia tollunt
Fortiter, & Cœlo manus imminet vſque Supremo
Iamq; Ioui manicas, captinaque vincla parârunt.

FINIS.